JOANNIS FABRICII ORATIO INAUGURALIS DE UTILITATE, QUAM THEOLOGIAE STUDIOSUS EX...

Johann Fabricius

Digitized by Google

VIRIS

GENEROSIS, MAGNIFICIS, MAXIME STRENVIS AC PRVDENTISSIMIS,

DNN.

DVVMVIRIS, TRIVMVIRIS, SEPTEMVIRIS,

& cæteris Inclutæ Reipublicæ Norimb.

SENATORIBVS,

optimis

PATRIÆ PATRIBVS,

DOMINIS ET MÆCENATIBVS

Suis devotè ac submissè colendis

JOANNES FABRICIVS

SALVTEM AC FELICITATEM.

QUum post beatum optimè de Studiis tàm Philosophicis quàm Theologicus meriti Joannis Conradi DürrI obitum, munus in Academia Altdorffina publicè docendi, Vestra, PATRES PATRIÆ, benignitate, mihi in Italia adhuc commoranti demandatum, literæq; Vocationis, Vestro jussu atq; auctoritate scriptæ, ad me perlatæ essent, statim, ceu fas erat, non modò de regressu in Patriam, sed etiam de materia Orationis Inauguralis cogitare cœpi. Et fortè fortuna in Itinerarium meum incidenti, quæq; in Germania, cùm Superiore tùm Inferiore, nec non in Belgio, & Italia notaveram, relegenti, visum est, haud malè facturum, si fructum, quem è tali peregrinatione habere potest Theologiæ Cultor, indicarem atque ostenderem. Verùm mox deprehendens, multitudine rerum me obrui, atq; Orationem, si pergerem, in volumen excreturam; relictis Germaniæ Belgiiq; terminis, intra solius Italiæ fines me continui. Attamen nec de hac etiam omnia, quæ Sacrarum Musarum filiis utilitati atq; ornamento esse possunt, adducere, sed potissima duntaxat delibare licuit: quando enim aliàs ad finem perventum esset Orationis? Sed & quo prolixior ea fuisset, eò plus olei & operæ perdidissem: Nam (ne Vos infortunium meum celem, DOMINI faventissimi) conscriptam in Italia usq; ad Exordium, &

cum aliis rebus, quæ in Itinere necessaria sunt, hippopera inclusam, furaces nescio cujus manus, viâ inter Augustam Vindelicorum & Norimbergam mediâ, mihi abstulere: Vt adeò postea actum agere, & Orationem denuò componere coactus fuerim. Quod quidem valdè mihi laboriosum fuit, ne dicã durum, quoniam nec Itinerarium ad manus erat, nec inde petita Excerpta; illud enim in Italia tum hærebat, hæc verò juxta cum Oratione perierant. Veruntamen Deo duce, memoriaq́ feliciter & argumenta & res, quibus illa quasi exemplis illustrantur, suggerente, ita successit labor, ut mox renatam & quasi repertam Orationem meam cernerem. Quumq́ postea prædicti quoq́ Itinerarii liber allatus esset, Inscriptiones & alia lectu digna exinde depromere, atq́ adeò Notas, quæ Orationi lumen fœnerarentur, adjicere licuit lubuitq́. Vobis autem, MÆCENATES *atq́* PROMOTORES *optimi, utrumq́ illud, utpote Academici mei laboris primitias, offero jam & consecro, ut publicum gratitudinis observantiæq́ erga Vos meæ exstet monumentum; ac Divinum Numen pariter veneror, det atq́ conservet* VOBIS, *quicquid ad perpetuam Patriæ Salutem, pacatum & tranquillum Regimen, diuturnam corporum Sanitatem, veram animorum Lætitiam, & magnum Illustrium Familiarum Vestrarum Decus atq́ Augmentum potest facere.*

Altdorffi è Museo Idibus Maji A. C.

MDCLXXVIII.

I. *Sanctus Panis*

ΑΓΙΟC ΑΡΤΟC



II. ΛΟΓΧΗ

Lancea



III. ΔΙΣΚΟC

Discus



IV. ΑΣΤΗΡ
Stella



V. ΡΙΠΙΔΙΟΝ
Flabellum



VI. ΛΑΒΙΣ
Cochlear



VII. Numus Lotionis pedum



IIX. Numus Jubilæi sive Portæ Sanctæ.

PROGRAMMA.

L. S. E. O.

SApiens quidam inter complura memorabilia dicta etiam hoc habet: *Cui Peregrinatio dulcis est, amara Patria: Cui dulcis Patria, amara Peregrinatio.* Quod si quis ita nudè et crudè accipere, atque inde colligere vellet, eos qui peregrè abeunt, Patriæ osores, adeòque nullum omninò Peregrinationis fructum esse, næ is alienam accuratissimo Viro mentem affingeret, & magnũ statueret absurdum: Locutus enim is est non de omnibus, sed de iis tantum, qui leges ac fines peregrinandi non observant; & omnes omnium temporum Sapientes multiplicem Peregrinationi utilitatem animosè adjudicârunt, aut Ipsi etiam ei operam dederunt, quemadmodum de Homero, Orpheo, Eudoxo, Democrito, Pythagora & Platone constat. Certè non Civilis tantum Prudentiæ, sed & Salutaris Scientiæ ac laudatissimæ Philosophiæ Cultoribus utilissimam illam esse ac fructuosissimam, haud facilè quisquam dubitaverit: At de nostris Theosophiæ Studiosis fortè non adeò liquida res est, utrum iis expediat, absoluto studio-

rum ſuorum curriculo oras adire atque perluſtrare peregrinas, præcipuè ſi earum incolæ à nobis in Religione diſſentiant, quales hodiè præter alios ſunt Itali. Mihi quidem examinatis hinc inde rationibus videtur, *Iter Italicum Theologiæ Studioſis multum commodi afferre*, idq; Oratione Inaugurali, pro recepta conſvetudine, Lectionibus publicis præmittenda oſtendere conabor, atq; ad eam Diei craſtinæ hora nona antemeridianain Auditorio Majori benevolè audiendam omnes Muſarum fautores, ſingulatim verò

Magnificum DN. RECTOREM,

Per illuſtrem & Generoſiſſimum DN. BARONEM,

Excellentiſſimos PATRES ACADEMICOS,

Clariſſimos DIVINÆ pariter atque HVMANÆ SAPIENTIÆ CVLTORES

Nobiliſſimosque & Ornatiſſimos DNN. STVDIOSOS

obſervanter, officiosè, humaniter

invito, rogo, expecto

tanti favoris atque amoris nunquam immemor futurus

JOANNES FABRICIUS S. THEOL. P. P.

P. P. Altdorffi D. IV. Martii A. O. R. M. D. C. LXXIIX.

Oratio.

ORATIO.

Magnifice DN. RECTOR,

Excellentissimi PATRES ACADEMICI,

Clarissimi, Nobilissimi atque Pereximii MVSARVM CVLTORES,

FAVTORES atque AMICI honoratissimi, suavissimi.

EQuidem si liberum esset, partes Oratoris jam sive in me recipere, sive à me removere, hoc potiùs quàm illud facturus essem; idque non sine ratione. Nam si vos, qui ad audiendum convenistis, & partim jam præditi estis magna eruditione, partim ad eam adspiratis, nil expectatis nisi eruditum, vereor ut expectationi vestræ satisfacere possim, qui eruditionem non tàm in me reperio, quàm in aliis colo atque veneror. Deinde locum hunc semper à perfectis Oratoribꝰ caluisse memini, in quorum numerum absit ut ego me referam, qui in arte dicendi, Latinè cum primis, jam diu non exercitatus fui, imò, si quid in ea valui, quum in hoc essem Athenæo, postea apud exteros pænè dedidici, & linguæ barbaræ studio (ita enim Italicam respectu Latinæ, more veterum appellare liceat) sensim sine sensu barbariem mihi contraxi. Attamen dicendum mihi est hodie, coram Vobis, Auditores, hoc ipso in loco, idque ex recepta consuetudine, quæ nemini ad Lectiones publicas aditum permittit, nisi aliqua iis oratione proluserit. Quantumvis igitur nec locum hunc eleganti sermone ornare, nec auribus Vestris exquisitioris doctrinæ nectar propinare valeam, spero tamen fore, ut lubentes me audituri sitis, quoniam Consuetudini Vestræ, ceu fas & æquum est, me submitto, atque ejusmodi argumentum

tractaturus sum, quod non Theologis tantùm ac Theologiæ Studiosis, sed & reliquarum Facultatum tum Doctoribus tum Discipulis, nisi omnia me fallunt, auditu jucundum erit. Dum enim demonstrare conabor aliquot argumentis, Theologiæ Candidato iter Italicum multum utilitatis afferre, adeoque neminem, qui sacris literis operam navans ejusmodi iter suscipit, aut inde revertitur, si cætera rectè se gesserit, propter id culpandum, sed potiùs laudandum esse, licebit pariter inferere, quæ & reliquos delectare, si non juvare, possint. Agite ergò, Auditores omnium Ordinum honoratissimi, implete spem meam, & vacivas mihi aures præbete.

Iter Italicum Theologiæ Studioso utile est

NOn uno, sed multis modis Peregrinatio per Italiam instituta S. Theologiæ Studioso utilis atq; salutaris esse potest. Vt adeò mihi non tàm de argumentis pro ea conquirendis anxiè laborandum sit, quàm hoc potiùs agendum, ut eorum habeam delectum, & potissima saltim percurram.

I.

ad Ritus & superstitiones adversarum Ecclesiarum observandas

Primùm autem hoc mihi dabitis, Auditores, Theologiæ alumnum non suæ modò, sed & aliarum Ecclesiarum ritus atque ceremonias, imò & superstitiones adversarum partium cognitas habere debere; quandoquidem ei sive in suggestu sive in Cathedra docturo frequens de istis differendi offeretur occasio. Vbi verò fertilior earum seges est, quàm in Ecclesia Græca & Romana, quam utramque Italia hodiè sinu suo fovet, hanc quidem, ut Mater, illam verò, ut Noverca?

Græcorum templum ingredienti, oculosque huc illuc circumferenti statim occurrunt multæ Divorum *imagines*, non (ut apud Pontificos) sculptæ, sed pictæ tantùm, aut (*a*) levi sculptura effictæ: ab illis enim tanquam à Deo prohibitis religiosè abstinent, hisce interim divinum cultum præter Dei mandatum deferentes. Peculiarem etiam modum in *Divorum Salutatione* observant: Ante enim quàm certũ locum occupẽt, in medio templi consistunt, facie versus Sanctuarium versa, nec unico sanctæ crucis signo contenti vel decem aut triginta faciunt manu fronti, pectori genibusque admota, & cum tanta corporis agitatione & dejectione capitis, ut metuas, ne aut cerebrum effundant, aut spinam dorsi disrumpant. *Sacra* eorum potissimùm consistunt in Missa & precibus vespertinis, nec minùs quàm apud Pontificios in lingua populo ignota fiunt: Græci enim hodierni linguam veterem, qua sacra eorum officia, atque ipsa etiam Scriptura sacra & SS. Patrum libri constant, non magis intelligunt,

quàm

quàm Italorum quispiam Latinam, aut nos Belgicam. Apud eos, qui Venetiis sunt, ne unica quidem toto anno habetur concio, quia (ut ipsi ajunt) Ecclesia non habet, unde Concionatorem alere possit. Mirũ sanè! quum habeat, unde cereos ad Sacra & Processiones comparet, & aliquot Sacerdotes alat, qui modulando & sacrificando officium peragunt. *Missam* quotidiè celebrant, sed semel duntaxat, nec publicè, sed in abscondito, in Sanctuario nimirum, quod interjecto pariete à reliquo Chori separatur. Est ibi Altare, atque ad latus ejus dextrum Mensa Propositionis, in qua Eucharistiæ fit præparatio. Panem adhibent fermentatum, eumque à Sacerdotis uxore aut alia quadam muliere, quæ non sit impura, coctum, cui effigies crucis impressa, cum sex literis Græcis majusculis, quæ hoc significant: Ἰησοῦς Χριστὸς Νικᾷ, *Iesus Christus vincit*; Idque (*b*) Sigillum nuncupant. Postquam igitur Diaconus sanctum discum, in quo panis reponitur, ad sinistram præparavit, calicem verò & alia ad dextram, Sacerdos panem sumit in sinistram, dextra verò (*c*) lanceam, & cum ea signum crucis faciens super Sigillũ dicit ter: *In memoriam Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi.* Et statim infigit lanceam in dextram partem Sigilli, eamque discindit, mox idem faciens in sinistra, & superiore atque inferiore parte. Porrò immittens sanctam lanceam ex obliquo dexteræ partis Oblatæ extollit sanctum panem, ut significet sublatam de terra vitam Christi; postea eum ponit in disco supinum, immolationis indicandæ causa; & pungit in dextra parte sancta lancea, ad denotandum id, quod Christo mortuo fecit unus militum, qui lancea sacratissimum ejus latus perfodit. Hic jam Diaconus infundit in sanctum calicem vinum & aquam simul. Et Sacerdos particulas è sacro pane cuspide lanceæ erutas (*d*) in sancto disco secundùm ordinem ponit, majorem quidem in memoriam B. Virginis Mariæ, minores in honorem Sanctorum, rursusque minores pro demortuis suis, pro se ipso & pro quibus vult viventibus, memorato cujusque nomine. Atque omnes istas particulas educit ex uno pane: Si verò plures fuerint à populo oblati, è secundo effodit eam, quæ Matri Servatoris nostri, è tertio eas, quæ Sanctorum gloriæ, è reliquis eas, quæ defunctis, sibique & aliis viventibus consecrandæ sunt. Mox (*e*) asteriscum suffumigatum super panem ponit, sacra tribus velis contegit, capiti imponit manibusque tenet, atque ita præferente calicem Diacono, è porta Propositionis exit, & facta sinuosa per Chorum via (ut memoria delati ad sepulchrum cor-

poris Christi repræsentetur) per Scevophylacii portam rursus ingreditur, & Missam ad Altare, reliquis extra Sacrarium Sacerdotibus ἀντίφωνα concinentibus, suscipit peragitque. Vbi imprimis observandum est, quod, sicut Diaconus asterem & vela à sanctis removet, & (*f*) flabello super ea reverenter ventilat, ne sacra symbola à muscis conspurcentur, præterea circa Sacram Mensam sive Altare suffumigat, & è Diptychis sive duabus tabulis, Mortuorum & Vivorum ibi descriptorum memoriam agit, factaque jam consecratione, ad fidei fervorem denotandum, aquam fervidam vino miscet, & finita Missa particulas panis sancti, quas ἀντίδωρα appellant, vel ipse populo distribuit, vel distribuendas Episcopo exhibet; ita Sacerdos post benedictionem hostiam elevet, in quatuor partes diffringat, in calicem immittat, & mysteria Eucharistiæ in calice ita commixta, beneficio (*g*) cochlearis parvuli (cujus manubrium tenue & oblongum, crucicula in extremitate ornatum est) communicare volentibus simul dispenset. Mitto jam alios ritus, quos iidem Græci in *Hebdomada Magna* & præcipuis *festis* usurpant, inprimis festo Paschatis, quo Episcopus sacris vestibus operosè induitur, Evangelium ab eodem sub porta Sanctuarii, & duobus Sacerdotibus, altero in media, altero in ultima templi parte stantibus prælegitur, & ad singulos versiculos, postquam signum campana datum est, extra sanctam ædem pulveris nitrati accensione lætitiæ tonitrua eduntur; & denique Osculum Pacis exercetur, ita quidem, ut Sacerdoti primario & genas & frontem, & manum, quemque ea tenet, codicem Evangelii, reliquis omnia præter genas, at Laicis non nisi Evangelium & manum Episcopi basiari, mutuaque sibi invicem oscula figere liceat. Apud *Maronitas* quoque sive Syros (quales Romæ reperiuntur) miras observes ceremonias, præcipue *die Palmarum*, quo Palmæ loco oliyam candelulis cereis plenam, atque ad Altare positam, suavi modulatione præmissa, in templo circumferunt, & in suo loco repositam, quotquot adsunt, hominibus diripiendam exponunt. Hîc dum quisque egregium ramum decerpere nititur, alter alterum vel longè protrudit, vel planè in terram projicit: alius pro oliva aërem capit, alius manum à candelulis ustam cum clamore retrahit, & tandem omnis cœtus in risum, imò vero cachinnum solvitur, ut crederes, non in Domo Dei te esse, sed in theatro.

Quod *Pontificiæ Ecclesiæ ritus* attinet, illorum quidem plurimi aliis in locis cerni possunt, in ipsa etiam nostra Vrbe patria; at

non omnes, nec ullibi meliùs quàm Romæ, unde tanquam rivuli è fonte profluxerunt. In horum censum refero *ceremonias in Capella Pontificis* usitatas, quarum pænè nullus est finis; (*h*) *Creationes* sive *Sanctorum* sive *Beatorum*; consecrationem plancentularum cerearum, quæ à figura Agni ipsis impressa (*i*) *Agnus Dei* appellantur; (*k*) *Rosæ & Gladii Benedictionem*; celebrationem (*l*) anni *Jubilæi*, & quæ tum potissimùm instituuntur *Processiones* tam in honorem Sanctorum, quàm ad recipiendos peregrinos; & ea denique, quæ *in Die Cœnæ Domini* sive Viridium quotannis fiunt, ubi Papa habitu Pontificali amictus & super porticum Basilicæ D. Petri sedens, prælecta à Cardinali Archi-Diacono Bulla Cœnæ Domini, qua miseri nos, scilicet! cum aliis quibuscunque ab ipso dissentientibus & tyrannidem ejus recusantibus, (*m*) excommunicamur, cereum ardentem ex alto projicit, ut indicet, ita se fulmine adversarios suos tactos velle; quod tamen illi non magis sentiunt, ac brutum aliquod Jovis fictitii. Mox Idem tredecim peregrinis, candida veste amictis, dicamne, ad imitationem Christi? non pedes lavat, sed pedem duntaxat dextrum, imò ne hunc quidem lavat, sed pauxillo aquæ rosaceæ aspergit, iisque (*n*) nummo aureo & argenteo donatis, ad mensam lautissimis epulis instructam ita ministrat, ut fastus potiùs luxusque quàm humilitas inde eluceat. O cœcam superstitionem! Sed ea magis se nobis conspiciendam præbet, quando jam è Vaticano Basilicam D. Petri ingredimur. Vbi primùm occurrit (*o*) *Porta sancta*, quam ipse Pontifex in principio anni Jubilæi aperit, ut per eam intrantes, & certum precum numerum recitantes, Divosque & Divas salutantes veniam peccatorum consequantur: Hinc simplex plebecula magna cum devotione, & nonnulli genibus flexis intrant: Deinde in medio templi *S. Petrus*, ex ære formatus, qui sedens pedem alterum è pallio profert, tam dura interim cervice ac fronte adeò supercilioſa, ut superbum potius Dictatorem esse jures, quàm humilem Apostolum, nec satis certò dixeris, ex amore, an ex metu cœca gens pedem ejus exosculetur: In Choro aut *Cathedra* (si credere fas est) *S. Petri*, quæ ære inaurato obducta à nobilissima (*p*) Ecclesiæ Veteris Doctorum quadriga, Athanasio, Chrysostomo, Ambrosio & Augustino sustentatur, & imminentem habet Spiritum, maximo Angelorum numero cœlestibusque splendoribus cinctum: opus sanè magnificum & ob sumptuosam elegantiam valdè æstimandum, sed idem superstitioſum atque ob adumbrationem

nem

nem infallibilitatis Pontificis abominandum. Similes sunt *aliorum Sanctorum effigies* sive pictæ sive sculptæ, quæ vel in eodem vel in reliquis templis visuntur, quorum quisque ut certi mali averruncus aut Medicus populo adorandus proponitur; (q) *Septem Templorum visitationes*; (r) *Processiones* solennes, & Ascensio per (s) *Scalam sanctam* non pedibus, sed genibus fieri solita, ut nescio quod meritum apud Summum & corporalium & Spiritualium bonorum Largitorem inde consequantur. Multa jam haberem dicenda de *Æde Lauretana*, in cujus medio (s) ædicula, aut cella potiùs, longa pedes circiter 40. lata 20. altitudine paululum latitudinem superante, marmoreis parietibus pulcherrimè cælatis forinsecùs vestita, ipsa autem (ut intrinsecus videre licet) è coctis lateribus saxisq; inelegantèr constructa, & muri ejus crebro attritu lævigati, veterique pictura obducti sunt, quæ supernè multis locis manet. In illo, quod templi fores spectat, latere fenestra est, qua ingressus Angelus D. Mariæ Virginei partûs nuntium tulisse fertur; contra fenestram caminus neque amplus neque ornatus; post Altare, Virginis Filium sinistra manu amplexantis, dextra sustinentis statua colitur, à S. Luca (ut ajunt creduli) è cedro sculpta oblitaque coloribus, & unà cum cella sive ædicula Nazaretho in Dalmatiam, ac porrò in hunc locum Angelorum manibus advecta. Sed fallor, an superstitionis hæc regia est? Huc enim omnis pænè Europa, quæ Sanctorum cultui, Pontificiæque religioni addicta est, confluit, & à Diva illa, si Medici aut ars aut voluntas deficit, petit auxilium & quasi non sufficeret superstitionem gratis colere, quisque pro facultatum suarum modulo munus aliquid deponit; quò cùm & Principum atque Monarcharum ingentia dona à multis jam inde annis accesserint, factum est, ut maximus stupendusque thesaurus fuerit collectus. Ex his, quæ hactenus dicta sunt, satis (nî fallor) apparet, Theologiæ cultori, si Ritus & Ceremonias, imò & Superstitiones aliarum Ecclesiarum notare velit, in Italia minimè deesse materiam, adeoque iter illuc institutum hac in re fructu suo neutiquam carere. Neque est, quod fortè credatis superstitiosas ejusmodi res ac ceremonias absq; simulatione, & quæ hinc oritur conscientiæ læsione observari non posse: nemo enim est, qui nos templo arceat, etiamsi nec aqua lustrali nos adspergamus, nec signum crucis faciamus, nec in genua procumbamus; dummodo à loco, in quo sacra fiunt, aliquantò simus remotiores, neç ea pro deridiculo habeamus. Quæ libertas

nisi

niſi conceſſa nobis eſſet, tantum abeſt, ut Theologiæ Candidato ejusmodi obſervationes tanquam utiles commendarem, ut potiùs eum inde magnopere retraherem atque impedirem.

II. *ad notandum Antiquitates Eccleſiaſticas*

Deinde ſi eundem Hiſtoriarum, & inprimis tam Sacrarum quam profanarum cognitionem habere oportet, ubi quæſo eam meliùs vel hauriat, vel de hauſta confirmabitur, quàm in ipſa illa terra, ubi Eccleſia Chriſti olim floruit, & Imperii Romani ſedes fuit? Et quod Antiquitates Eccleſiaſticas attinet, illas Peregrinator noſter non in ultima Italia quærendas habet, ſed in medio etiam, imò & principio ejusdem invenire poteſt. Nam ubi Germania ab Auſonia terminatur, pandit ſe Vrbs circumcirca montibus altiſſimis cincta, & Atheſi flumine irrigata, in cujus templo Cathedrali Romanæ Eccleſiæ filii, præſentibus etiam Cæſaris Regumque Legatis, librum illum procuderunt, qui Pontificiæ Religionis hodiè Palladium eſt, atque ab Vrbe & (*t*) Congregatione ibi habita Concilium Tridentinum dicitur. Venetiis in veſtibulo Templi D. Marci (*u*) lapis loquitur quadratus, quid *Papa Alexander III.* fecerit Friderico Barbaroſſæ Imperatori, quod nimirum in terram ibi proſtratum Monarcham pede conculcaverit, verbis hiſce adjectis: *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Quæ hiſtoria, Sapientiſſimorum Senatorum juſſune dicam, an permiſſu? (*x*) denuò depicta cernitur in auguſtiſſimo Palatii Ducalis loco, qui Conſilium Magnum dicitur, & Juſtitiæ, quæ Veritatem complectitur, ſedes eſt. Ipſa autem pictura, ut curioſitati veſtræ ſatisfaciam, ita ſe habet: Papa ſtans, brachiisque à Venetorum Duce & Cardinali quodam ſuffultis, pede ſiniſtro cervicem Imperatoris gradibus Solii Pontificii incumbentis comprimit, in eumque, quaſi Hoc ipſi agendum eſſet, ſuperbos oculos intendit, maxima hominum multitudine ſacram tragœdiam pariter ſpectante. Sed nos à tam triſti ſpectaculo ut faciem avertamus, Bononiam proficiſcimur, ubi in eorum templo, qui Servorum nomen ſibi impoſuerunt, urceus monſtratur lapideus, haud ineleganter cælatus & duobus manubriis inſtructus, trium vel quatuor ſummùm menſurarum, isque pro *una ex hydriis Cana Galilæa* venditatur; Sed nos fabulæ huic non credimus, qui aliunde ſcimus, illas longè capaciores fuiſſe. *Ariminum* jam ſequitur, Vrbs non tam à nupero terræ motu, quàm à Concilio inclyta, quod ibi olim habitum. Vbi autem? difficilis ſanè quæſtio, quam tribus abhinc annis ne doctiſſimi qui-

dem è tribus Collegiis Viri decidere potuerunt; Canonicus autem quidam Ecclesiæ Cathedralis admodùm senex respondit, celebratum id fuisse ad mœnia eo in loco, qui Italica in lingua *Il Cortile della Gagliana* hodiè vocetur. Ita sæpe fit, ut qui exterarum rerum notitiam magno studio sibi comparant, in historia patria hospites sint atque infantes. Haud procul inde pagus est exiguus, at magno insignitus nomine: nam CATHOLICA dicitur, eo quod Arianorum secta invalescente, Catholicis Episcopis aliquandiu refugium præbuit atque domicilium, sicut (7) ex Inscriptione, quam Ecclesiolæ murus prætereuntium oculis subjicit, discere licet. Inde jam ad Vrbem pergimus, quæ olim Caput Mundi audivit. Sed ante quàm eam intremus, transeundus est nobis *Pons Milvius*, Tiberino amni superstratus, & vel propterea notandus, quod Constantinus M. Maxentiũ ibi superavit, & Ecclesiæ Christianæ constantem atque æternam contra Ethnicos persecutores libertatem acquisivit. In ipsa autem Vrbe, DEVM immortalem! quantus Antiquitatum Sacrarum est numerus! Hìc sub Basilica D. Petri considera mihi, Viator Sacer, *Ecclesiam* à prædicto *Constantino* exstructam, & dic, annon hodiernus fastus à veteri simplicitate multùm differat, recentioresque Pontifices eam sepelire voluisse dicendi sint, quod vastissimam novæ Basilicæ molem superstruxére? Nec prodigalitatis, sed Cæsareæ Magnificentiæ signum est *Baptisterium* ejusdem *Constantini*, quod è vivo & eleganti marmore confectum. Dumque jam vicini sumus Matri Ecclesiarum Romanarum, Basilicæ Lateranensi, age ingrediamur, visuri non *caput Zachariæ* Sacerdotis; aut *calicem*, è quo venenum illæsus hausit S. Joannes Apostolus; aut *catenam*, qua vinctus Romam deductus fuit; aut *indusiolum*, quod Maria Virgo filio suo texuit; aut *linteum*, quo Christus Discipulorum lotos pedes siccavit; aut *arundinem*, qua capiti ejus spinea corona impacta; aut *purpuram*, qua amictum Pilatus Judæis exhibuit; aut *spongiam*, quam aceto repletam sitienti carnifices porrexerunt; nec *aquam cruore* permixtam, quæ è Christi latere effluxit; nec *linteum*, quo vultus ejus, cùm in sepulcrum conderetur, obtectus; nec *alterum*, quo summum supplicium perpetiens fuit velatus, nec *mensam*, super qua Paschalem agnum cum Discipulis sumpsit; nec *sanguinem* à Joanne profusum, nec *capita* deniq; SS. Apostolorum *Petri* & *Pauli*: nam quis de veritate harum reliquiarum nos certos reddat? Sed *Sellam* illam, in qua (ut ex ipsis Pontificiis multi Scriptores confitentur)

fitentur) postquam fœmina Virum mentita, & in Papam electa, torcè in via partum edidisset, Pontificibus recens electis genitalia fuére attrectata, ne scilicet eadem fraus denuò fieret. In porticu quidem Ecclesiæ proximo duæ adhuc visuntur *porphyretica* cum Sede perforata; in quibus, ceu Marcellus refert, Archi Episcopus Corcyrensis, ex ordine sedit Pontifex, ut acciperet & restitueret claves Laterani; sive (z) ut humilis originis suæ admoneretur, quam etiam ob causam Chorus cecinit: *Suscitans de pulvere egenum, & de stercore erigens pauperem, ut sedeat cum Principibus, & Solium gloriæ teneat*; Vnde & Sellæ (sit venia verbo) *stercorariæ* dictæ. At illa ipsa, quæ ad explorandum sexum adhibita perhibetur, alibi quærenda est, nec à multis inde annis amplius usurpatur, ob eam, credo, rationem, quam Joannes Pannonius Episcopus Quinqueccliensis duplici hoc expressit disticho:

Non poterat quisquam reserantes æthera claves
Non exploratis sumere testiculis.
Cur igitur nostro mos hic jam tempore cessat?
Ante probat quod se quilibet esse Virum.

Quò & illud Marulli pertinet de Innocentio IIX. è Cibonum familia oriundo:

Quid quæris testes, sit mas an fœmina Cibo?
Respice natorum, pignora certa, gregem.

Atque nunc quidem nobis sufficiat vidisse Sellas istas duas stercorarias: ex istis enim facilè imaginari nobis possumus, qualis nam tertiæ illius, quam *Probaticam* appellare liceat, facies atque figura sit. Age igitur, mi Viator, proripiamus nos hinc ad alia observanda. Ex Historia Sacra sine dubio didicisti, in exercitu M. Aurelii contra Marcomannos pugnantis fuisse Legionem Christianorum, quæ precibus per Christum ad verum & unicum Deum fusis sibi & reliquis copiis pluviam ad sedandam sitim, hostibus autem vehementem grandinem, ignem & flumina, quibus perirent, impetravit, inde LEGIO FVLMINATRIX dicta: nec te latebit, Christianos sub Ethnicis Imperatoribus, dum persecutionum procellæ sæviebant, *sub terris* latuisse, repertos autem sive bestiis objectos, sive aliis cruciatibus ablumptos; scies etiam, *Candelabrum aureum* & *Tabulas Mosis* à Tito Vespasiano è Judæa in Italiam transportatas; & Sanctissimos Christianæ Religionis athletas, *Petrum & Paulum*, non in vinculis modò habitos, sed etiam cruce & gladio interemptos esse.

Ecce omnia hæc tibi proponit Roma: nam (*aa*) historia de Legione fulminatrice, præclarissimum fidei Christianæ monumentum, in illa vægrandi Antonini Columna, quæ firmo hodienum pede stat, ab ipsis Ethnicis scalpta est, in qua probè notandum, milites illos Christianos in Scutis suis Signum crucis habere: Ad Christianorum habitationes subterraneas, (*bb*) Sanctoque Hieronymo, quum adhuc puer esset, & Studiorum causa Romæ degeret, Diebus Dominicis frequentatas, (*cc*) in & extra Vrbem aditus patet: Locus ubi Christiani cum bestiis pugnantes ludum idololatris coacti sunt facere, est (*dd*) Amphitheatrum illud celebre, cujus rudera adhuc miramur: Cæterùm ubi tot Martyrum myriades sanguinem & vitam profuderunt, illa est regio, quæ templo D Pauli imminet, & *Campus Martyrum* dicitur: Effigies autem vera (*ee*) tàm Candelabri aurei, quàm Tabularum Mosis marmori, quo Arcus constat Titi Vespasiani, incisa est: & (*ff*) Apostolorum carcer ad radices Capitolii, locus autem supplicii, diversus est: nam Petrus crucifixus dicitur aut (*gg*) in Janiculo, aut in eo Vaticani loco, in quo deinde pia fideliũ manu sepultus est, ac toto terrarum orbe celeberrima constructa ejusdem Basilica cernitur; Paulus verò capite amputatus (*hh*) ad Aquas Salvias: Quod dum memoro, pariterque innocentium virorum merita æstimo, sacer quidam horror me invadit; quemadmodum & fieri solet in contemplatione ingentis illius (*ii*) *Petræ Cajetanæ*, quæ si non dissiliit (ut Pontificii quidem dicunt) in die mortis Christi, quando petræ Judaicæ omnipotente Dei manu disruptæ fuére, tamen hiatu suo, quasi aperto ore saxea Christianorum quorundam corda inclamat, increpat atque dilacerat.

& profanas.

Jam si ea spectare placet, quæ Antiquitatum prophanarum numero inferri debent, nihil est, quod Theologiæ alumnus in Itinere Italico jure meritoque desiderare queat. Nam in diversis Italiæ civitatibus, præcipuè autem in Vrbe, quondam Terrarum Domina, aut propè eam exhibentur *Thermæ*, *Naumachiæ* loci, *Circi*, *Theatra*, *Amphitheatra*, *Arcus Triumphales*, *Aquæ ductus*, *Columnæ*, *Obelisci*, *Mausolæa*, *Prætoria & Templa Gentilium*, è quibus ferè integra in hodiernũ usque diem perdurant duo illa, quorum alterum (*kk*) Baccho dicatum fuit, alterum Diis ac Deabus Vniversis, Græco nomine (*ll*) *Pantheon* appellatum. (*mm*) *Rubiconem*, si lubet, minore quàm Julius Cæsar fecerat, periculo transire potes. (*nn*) In *foro Ariminensi* lapis erectus tibi dicit, Cæsarem in ipso stantem milites

allocutum

allocutum fuisse, eosque ad arma contra æmulos suos capessenda animasse. *Capuanam* regionem, quæ invictissimum aliàs Ducem Hannibalem deliciis superavit, absque detrimento peragrare licet, nam inculta est hodiè, atque eremo, quàm voluptatum habitaculo, similior. Pisæ vas marmoreum publicè ostendunt columnæ ophiticæ impositum, quod, (*oo*) ut subscriptus titulus refert, tuit *mensura tributi*, quod Cæsari olim tributaria Civitas pendebat. (*pp*) Patavinum Prætorium custodit (*qq*) *Cineres Livii*, Historiarum Patris, & (*rr*) *Lapidem Cessionis Bonorum*, in quo, qui solvendo non erant, nudis natibus sedére: Genua (*ss*) *Rostro*, quod hodiè in toto Orbe unicum reperias, tanquam incomparabili trophæo superbit, idque armamentarium ingressuris conspiciendum porrigit, quasi omnia, quæ intus sunt, cimelia præ hoc contemneret: & Torcellæ, Venetarum Insularum haut ultima, fenestris templi Cathedralis affixas etiam nunc habet duas sat densas *valvas*, *quæ è vivo saxo* excisæ sævas Barbarorum irruptiones, quum tormenta bellica nondum essent nata, sanè eludere poterant. Huc fortè etiam quis referret *picturam* illam, quæ *in Palatii Veneti aula*, à quatuor portis nomen ferente, conspicitur, ita quidem, ut Dux Sereniſſimus solio insidens & Consiliariis suis Senatoribusq; stipatus duos ante se stantes audiat Legatos, quos (*tt*) vulgò ajunt ab Illustri Magistratu Norimbergensi, Leges Tutelares petendi causa, missos fuisse. Verùm hoc non nisi humani cerebri figmentum est: petitæ enim atque impetratæ sunt Leges istæ non per Legatos, sed literis; (*uu*) nec qui de publicis Venetorum picturis peculiarem in lingua Italica librum scripsit, illam de Norimbergensi, sed de Legatione alicujus Status Veneti interpretatur: Quod sanè cum habitu Legatorum, qui in tabula picturæ visuntur, eleganter convenit; amicti enim sunt togis longis, pelliceam fimbriam habentibus, quibus Doctores, qui plerumque Oratorum munere funguntur, in illis terris uti solent. Sed quid tam diu de Antiquitatibus Puteolanis & Bajensibus nihil dicimus? Neapoli Puteolos eunti transeunda est illa *Crypta*, quæ à vicina Vrbe, *Neapolitana* dicitur: opus sanè admirandum, quo Græci (ut videtur) Cumis habitantes, ut recta Neapolin ire possent, montem Pausilypum ad passus circiter mille perforarunt: *Nihil* (ut Senecæ verbis utar) *illo carcere longius, nihil illis faucibus obscurius; quæ nobis præstant, non ut per tenebras videamus, sed ut ipsas.* Cryptæ huic (si Servio & communi hominum relationi credimus) super- *epist. 57.*

impositum est Pœtarum principis *Virgilii Sepulcrum*, in quo olim steterunt novem columnæ, supraque eas urna cineres Poetæ servans, cum hoc, quod ipse sibi fecerat, Epitaphio:

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope: cecini Pascua, Rura, Duces.

At omnia pessum ivere, nuda modò atque informior è lateribus exstructa ædicula supereſt; & paullò inferius, ubi tamen adhuc prospectus datur in Insulam Capreas & Oceanum, *locus, in quo idem Pœta carmina* solitus est condere, carmina lauream promerita; unde & ipsa Natura gratitudinis ergò laurum ibi produxit atque etiam nunc conservat. In via Puteolana porrò occurrit *Antrum Canum*, in quod immissi canes ubi sulphureum (quem alii pestiferum credunt) halitum accepere, velut vertigine obruuntur, ut mortui videantur. Remedium autem in propinquo est: extracti enim & *lacui Agnano* immersi, protinus vitam, quam videbantur amisisse, recipiunt. *Monti Novo* è cineribus & pumicibus, quos igneus terræ motus anno xxxuix. superioris Seculi ejecit, orto imminent rudera quædam, quam Ciceronis illam porticu & nemore celebratam *Academiam* fuisse plurimi censent, Plinius verò littori superstitisse scribit: In quo quidem sibi invicem minimè contrariantur; constat enim, mare aliquantum inde recessisse. Heic jam viator noster ab Antiquitatum Interprete, qui ortum suum è Ciceronis familia deducit ejusque nomen gerit, cætera indoctus & infimæ conditionis homo, egregiè falli potest, (xx) nisi ipse Autores de iis consulat: Nam *pilæ illæ lateritiæ, quæ prope Puteolos* in mari adhuc stant, non pontis à Caligula Bajas usque strati, sed munimentorum portûs Puteolani reliquiæ sunt; fecit enim ille pontem ex onerariis navibus inter se colligatis, non verò è lateribus aut saxo: Nec *Crypta Sibyllæ*, lacui Averno adjacens, ejusdem habitaculum fuit, quippe quod Cumis erat, sed Cimmeriorum potiùs vatidicorum, aut transitus saltim, fortè à Cumanis factus, ut in plana via Bajas pervenire possent: Nec *Campi Elysii* illi sunt, qui juxta Mare Mortuum sive portum Julii monstrantur; nam in Cumano agro quærendi sunt: Nec *Centum Cellæ* ergastula fuerunt, in quæ Nero tyrannus homines damnârit, sed cisternæ potiùs, quibus aquæ vel in potum classicorum, vel ad irrigationem hortorum asservatæ; quem etiam in finem haut inde procul facta exstat *Piscina Mirabilis*, 48 pilis inixa, quæ quatuor ordinibus numero quaternario distributæ Symmetriam quin-

am quintuplicis portûs per elegantem longitudinem efficiunt: Nec *Mercatus Sabbathi* locus fuit Solis mercatoribus solo die Sabbathi frequentatus, sed Circus, in quo ludi celebrati: Nec fortè etiam *fornix* ille, paululum supra terram exstans, & Sphingum gryphum similiumque animalium insculptis simulacris ornatus, Agrippinæ Sepulcrum est sed particula domûs, quam Augusta illa ibi habuit. Vt jam *villas* præteream *Pompeji*, *Marii*, *Cæsaris*, *C. Calpurnii* Pisonis, *Hortensii & Vatiæ*. Nec de *Acheronte* quidquam dicam, ne eum movisse videar. Has & similes alias Antiquitates Peregrinator Sacer rectè, ni fallor, pervestigat: neque enim tantùm apud probatos Scriptores, quorum lectio ab ipso requiritur, illarum fit mentio, sed & in Ecclesia vel Academia loquenti usui esse possunt. Cæterùm non volumus, ut Noster ille Antiquitatum studio nimis sit deditus, eosve imitetur, qui rugas & senectutem depereunt, & singula quæque, ut Belgæ caseum, situ & mucore æstimant, quique ad quodvis Saxum senio obesum vel arcis rudera moras faciunt, atque in eorum contemplatione dum diutiùs attentè & stupentes hærent, pænè itineris suscepti obliviscuntur. Temporis habenda est ratio, mi Viator Theologice, idque alia etiam, quæ observari merentur, sibi postulant. Quænam verò illa sunt?

III. *ad lustrandum: potiora & præclariora opera Naturæ*

Primùm quidem celebriora Naturæ opera: ea enim tibi serviunt instar speculi, è quo bonitatem atque potentiam Creatoris sive ipse perspicias, sive aliis ostendas. Neque eorum penuria est in Italia, imò ne in ejusdem quidem finibus Nam in principio statim expandunt se illa montium juga, quæ vertice suo cœlum attingere videntur, quorumque particulæ fortè avulsæ atque in planum delapsæ magnitudinem domûs haud parvæ exæquant. De *Alpibus* me loqui facilè ipsi conjicitis. Neque illæ Viatorem statim dimittunt, sed per integrum octiduum detinent, ut Conditoris magnitudinem inde metiens vel in corde suo dicat: *Magnus Dominus, qui hæc fecit!* Ex Alpium carceribus emissum excipit *Lombardia*, post *Campaniam Felicem*, quæ meritò Liberi Cererisque Certamen dicitur, omnium regionum & elegantissima & fertilissima. At jam cautos atque circumspectos esse nos oportet, prope enim sumus *monti igni-vomo*, à cujus faucibus Plinius historicus, dum curiosiùs inspiceret, raptus atque devoratus fuit. Age igitur, postquam voraginem Vesuvii hujus fumantem vidimus, atque unum alterumque quasi stomachantis strepitum audivimus, descendamus protinus: Nam ipse, *Sir. 43, 5.*

ipse, qui ad radices montis à Pro Rege Neapolitano erectus est (yy) lapis, tugere nos jubet. Sed vereor, ne, dum Charybdin vitare volumus, in Scyllam incideremus: ecce enim nos delatos in *Forum Vulcani*, quod vulgò *Solfatara* dicitur, *campum circumquaque inclusum superciliis ignitis, quæ passim tanquam è caminis incendium magno cum fremitu exspirant.* Viden, Viator, ut solum omne sulphurea arena flavet? ut aurati scrobium margines vivo sulphure rutilant? ut nigro exhalante fumo cœlum obducitur? Audin', ut scrobium aliæ velut ingentis crepitu flammæ strepunt, aliæ fervent ebulliente aqua? ut pede pulsata humus reboat? Parum abest, quin credam, nos supra Tartareæ domus tectum consistere, quo rupto mox intera omnis turba detegenda sit: at Purgatorii hunc locum esse, quisquis vult, credat, ego non credo, sciens, fabulam illud esse atque figmentum. Sed quàm horribilis est locus ille, tam salutaris & idem est: nam originem suam inde sumunt (zz) *Thermæ Bajenses*, de quibus verè Plinius: *Nusquam largius quàm in Bajano sinu emicant benignæ aquæ pluribus auxiliandi generibus, aliæ sulphuris, aliæ aluminis, aliæ salis, aliæ nitri, aliæ bituminis, nonnullæ & acida salsave mixtura; vapore quoq; ipso aliquæ prosunt: tantaq; eis est vis, ut balineas calefaciant, ac frigidam etiam in solio fervere cogant. Obsonia quoq; percoquunt. Iam generatim nervis prosunt, pedibusve aut coxendicibus, aliæ luxatis fractisve. Inaniunt alvos, sanant ulcera. Capiti, auribusq; privatim medentur. Oculis verò Ciceronianæ.* Verè ita Plinius: nam nihil istis aquis salubrius esse, quotidiana testatur experientia. Dolendum modò, non omnes earum fontes adhuc esse integros: nã olim affixæ iis erant (aaa) Inscriptiones & imagines lapideæ, quæ virtutes eorum, & qua ratione usurpandi essent, adeò rectè indicarent, ut jam vulgus Medicorum opem negligeret atque huc tanquam ad Æsculapii Sedem feliciter concurreret. Quid autem Medici Salernitani? (bbb) Tres ex iis lucrum suum publicis cõmodis præponentes, conscensa cymba Bajas navigarunt, & imagines pariter atque inscriptiones nocturno tempore confregerunt. Sed ut semper ultio divina malefactis parata est, ita nec invidi isti atque avari effugere eam potuére: nam quum domum reverterentur, exarsit repentina tempestate pelagus, (ccc) eosque vivos absorpsit, ut nimirum per aquas punirentur, qui contra aquas peccaverant.

Strabo l. 5.

lib. 31. c. 2.

IV. & Artis

Hactenus de Operibus Naturæ singularibus, à quorum consideratione si vobis videtur è re esse, ut Sacrarum Musarum alumnus se con-

se convertat ad insigniora opera Artium, nulla ferè est terra hac in parte felicior Italiâ: In ea quippe sedem fixit *Architectura*, in ea floret *Pictura*, in eâ caput effert *Sculptura*, in ea viget *Musica*, & *Theatrica* in ea regnat. Adeat, qui hæc non credit, adeat modò celebriores Italiæ urbes, Genuam, Mediolanum, Venetias, Florentiam, Romam & Neapolin, & verum, imò minus quàm par est, me dixisse fatebitur: nam ars dicendi in me tanta non est, ut *Vitruviorum*, *Apellum*, *Praxitelum*, *Orpheorum* & *Terentiorum* Italicorum divina opera satis describere atque celebrare possim.

V. Ad concionatorum optimorũ imitationem

Neque verò etiam id à me requiritis, Auditores benevolentissimi, quin potiùs aliud argumentum, unde Italici Itineris sacra utilitas probetur, expectatis. Ne igitur expectationem vestram fallam, extra omnem controversiam esse autumo, Theologiæ Studioso optimos quosque Concionatores audiendos atque ad imitationem trahendos esse: Habet enim studium Homileticum cum aliis hoc peculiare, quod magis ex auditu & visu quàm lectione discatur: Certè Elocutio, quæ Pronunciationem & Actionem complectitur, atque Anima Orationis habetur, è vivo organo feliciùs hauritur, quàm è præceptis. Iam verò quanquam Germania puriori doctrinæ addicta, atque in ea Vrbs etiam Norimbergensis nostrumque Oppidum habeat Viros, qui in Sacra Eloquentia excellunt, pace tamen eorum dixerim, Italiam hac quoque in parte esse beatiorem. Nec mirum; Etenim quum Nostris sæpè vix dies unus aut biduum suppetat ad Concionem elaborandam memoriæque mandandam; illis non unius modò septimanæ, aut mensis, sed integri anni, imò plurium quandoque annorum spatium conceditur, neque turpe est eandem cramben non bis duntaxat, sed pluries apponere: Ita enim quasi usu receptum est apud eos, ut qui conciones Quadragesimales prima vice in pago habuit, easdem anno sequente in oppido, tertio in urbe mediocris spatii recitet, donec postea in majores, ac denique in maximas transeat. Hinc fit, ut Homilias suas sæpius emendatas, sæpiusque memoriæ infixas feliciſſimè tandem habere possint, populusque eos tanquam *Augustinos* accuratè docentes, *Hieronymos* graviter admonentes, *Ambrosios* suaviter consolantes, *Hilarios* nervosè refutantes, *Cyrillos* terribiliter fulminantes, *Chrysostomos* flumine orationis abundantes, & *Basilios* commotione affectum corda humana expugnantes, admirabundus audiat, finitâque concione læto susurro, tanquam solenni acclamatione, favorem

(*ddd*) adeò perfectis oratoribus conteſtetur, & iis quaſi triumphum canat. Quum verò tales ſint Concionatores Italici, quis vitio vertat Homiletici Studii Candidato ſi eos audiendi, &, quantum licet, imitandi cauſa in Italiam ſe conferat, præſertim qui jam gnarus eſt aurum à ſcoriis, hoc eſt, puram ab impura doctrina diſcernere? Quanquam, ut verum fatear, inter eos non deſunt, (*eee*) qui in concionibus ſuis à fabulis abſtinent, atque hoc agunt, ut corruptos hominum mores beneficio Scripturæ & Eccleſiæ Patrum repurgent, vitamque Chriſtianam ac piam è fuga retrahant.

VI. ad meliorem pronunciationem

Atque iidem Oratores Sacri probè ſcientes, non ſatis eſſe, ut Homilia elegans conſcribatur, niſi eadem decora exornetur pronunciatione, in hoc potiſſimum incumbunt, ut ſuaviſſima & diſtincta pronunciatione utantur: In quo certè Germaniæ Superioris incolæ (date veniam Populares verum dicenti) ſæpè negligentiores ſunt: quid enim magis tritum eſt, quam quod ſimplicem conſonantem pronunciamus ut duplicem, aut duplicem ut ſimplicem, b pro p, f pro v, d pro t, & ſic vice etiam verſa? Quæ & ſimilia vitia corruptæ Elocutionis, magno cum faſtidio doctarum & delicatarum aurium audiuntur: quin ſæpè obſtant, quò minùs oratio, quanquam eruditiſſimè conſcripta, ab aliis percipiatur, & ſcopum attingat. Ita, referente communi Germaniæ Præceptore, Philippo Melanchthone, accidit *Legatis VVirtenbergicis*: quantumvis enim viri docti, eloquentes & magna auctoritate præſtantes eſſent, tamen eorum pronunciatio & peroratio tam craſſa & ingrata Cardinalibus & Pontifici Romano fuit, ut indignabundus illos absque reſponſione dimiſiſſet, re infecta, niſi Capnio veluti interpres ſuaviore elocutione illorum errorem correxiſſet, atque delicatioribus auribus ſatis feciſſet. Sed quid peregrinum exemplum repeto, quum domeſticum ad manus ſit? quod vobis, qui Horas Subciſivas doctiſſimi Camerarii legiſtis, non poteſt non eſſe notum. Cùm enim Legatus Regis Galliarum Nicolaus Herlæus, D. de Sanci, qui in progreſſionibus Juventutis & diſtribuendis præmiis in hoc noſtro Altdorffio auditor atque ſpectator adeſſe non dedignatus erat, à *Patritio quodam Norimbergenſi*, tunc adoleſcente & Claſſico adhuc, elegante oratione extemporanea exceptus, eique gratiæ peculiares pro honorifica præſentia actæ eſſent, nihil aliud deſideravit Vir Ampliſſimus idemque eruditiſſimus, quàm politiorem, cultiorem & molliorem pronunciationem, ita ut diceret, ſe pleniorem ſenſum eorum, quæ dicerentur, aſſe-

Cent. 3. cap. 70.

tur, assequi non potuisse. Equidem facile huic vitio remedium esset, si Præceptores, quibus prima juventus concredita est, eam ad cultiorem pronunciationem assuefacerent: Verùm hoc non fit, & vix etiam sperari potest, quoniam ipsi malè pronunciant. Quare apud alios ea tandem addiscenda est; inter quos quum in Italia Oratores Ecclesiastici caput efferant, quantum lenta solent inter viburna cupressi, meritò eos Sacræ Eloquentiæ cultor audiat atque imitetur.

VII. ad Linguarum studium

Jam de Linguarum studio quid judicatis Auditores? nonne illud Theologiæ Studioso insignè utilitatem præbet, aptumq; reddit, partim ut Sacræ Scripturæ fontes adire, partim ut ejus Versiones inter se conferre, imò & cum peregrinis, qui præter patriam ipsorum linguam nullam aliam callent, agere, eorumque libros evolvere possit? Loquor autem de *Hebræa*, *Syriaca*, *Arabica*, *Græca*, *Italica*, *Gallica*, *Belgica* & *Anglicana*. Et illæ quidem in pluribus Germaniæ Universitatibus, in ipsa etiam Altdorffina nostra commodè addisci possunt, ubi in Græca & Orientalibus linguis excellentissimos habemus Professores; attamen fateri oportet, eas certo respectu multò felicius excoli in Italia ejusque duabus præcipuis urbibus, Venetiis & Roma, ubi aquas ex ipso fonte bibere, hoc est, Italicam cum Italis, Gallicam cum Gallis, Anglicanam cum Anglis, Belgicam cum Belgis, Græcam cum Græcis, Syriacam cum Syris, Arabicam cum Arabibus, & cum Hebræis tàm Orientalibus quàm Occidentalibus Hebræam exercere, si lubet, licet. De *Hieronymo*, magno illo Ecclesiæ Doctore, notum est, eum in Orientem profectum fuisse, ut linguam Hebræam disceret. Quid ergo? culpandusne erit officii Sacri Candidatus, qui in Italiam abit tot tantasque lingvas si non discendi, saltim perdiscendi & excolendi causa?

VIII. ad Librorum & Virorum doctorum notitiam acquirendam

Denique si (*fff*) Bibliothecæ publicæ, in qua magnus est & impressorum & manuscriptorum librorum numerus, adeundæ sunt bonarum sacrarumque literarum Studioso, haud scio, an Italia in hisce cuiquam alteri regioni vel tantillum cedat: nam quid venerabilius est illâ *D. Marci*, quæ Venetiis? quid nobilius *Ambrosiana*, quæ Mediolani? quid instructius *Laurentiana*, & *Medicea*, quæ Florentiæ? & quid pretiosius *Vaticana*, quæ Romæ est? Quibus hodiè meritò addas, quam *Cardinalis Barberinus*, Purpuratorum Apollo, in sua domo multis sumptibus erexit, & publico bono consecravit. Dum verò ita notitiam librorum sibi comparabit Peregrinator

grinator noſter, eâdem via in amicitiam quoque perveniet magnorum clariſſimorumque Virorum: Nam etſi Italia non amplius, ut olim, abundat doctis ingeniis, pauca tamen illa, quæ habet, doctiſſima eſſe, nemo negare poteſt. Atque ex iis, ut duo magna luminaria inter ſtellas minores eminent *Octavius Ferrarius*, *& Antonius Magliabechius*, ille Eques & in Athenæo Patavino Eloquentiæ & Græcæ Linguæ Profeſſor, hic in florentiſſima Florentiæ Vrbe Bibliothecarius, ille ob incomparabilem ſuadam alter Cicero, hic ob feliciſſimam juvenis Principis informationem alter Ariſtoteles, ille ob gravitatem ac ætatem venerabilis, hic ob ſummam humanitatem amabilis, uterque ob ſingularem eruditionem non modò quibusvis Muſarum cultoribus, ſed Regibus etiam ac Reginis Principibusque Viris magno in pretio habiti. Atque hoc in iis laudandum eſt, quod, quamvis in tanto æſtimationis faſtigio conſtituti & negotiis graviſſimis pænè obruti ſint, neminem tamen, qui honeſtas diſciplinas colit, liminibus ſuis arceant, ſed quàm maximè curent, ut unumquemque & doctiorem & meliorem dimittant. Jam ſi Gaditanus quidam Romam profectus fuit, Plinium viſendi cauſa, quantò magis digni ſunt Duumviri iſti, ob quos etiam Sacrarum Muſarum alumnus Italiam ſalutet, quippe qui non Plinium duntaxat, ſed quotquot Græcia pariter ac Latium Scriptores probos in lucem protulit, vaſto atque improbo ſtudio ſuo exhauſere?

Argumẽtorum ἀναϰεφαλαίωσις.

Quando igitur Italicum Iter tam multis modis utile eſt, nempè ad Ritus & Superſtitiones adverſarum Eccleſiarum obſervandas, ad Antiquitatem tam Eccleſiaſticam quàm profanam notandam, ad Naturæ & Artis opera luſtranda; ad Concionatorum optimorum imitationem, ad meliorem Pronunciationem diſcendam, ad Linguarum exterarum ſtudium, ad Librorum & Virorum doctorum notitiam acquirendam; nemo erit, credo, qui Theologiæ Studioſum in Italiam, dum ſumptus, ætas & occaſio ſinit, iter ſuſcipientem, aut inde reverſum, reprehendat, aliisve reprehendendum offerat.

Concluſio.

Quisquis autem illuc te confers, vide ut eos fructus, quos deſcripſimus, imò etiam plures, quàm deſcripſimus, domum referas. Sunt qui pro auro carbones, pro roſis ſpinas colligunt; quando delitias ac vitia Italica, quæ nec pauca ſunt nec parva, cœco impetu ſequuntur; at tu, qui Sacris ſtudiis initiatus es, cave ne quam iis maculam affrices, aures obtura cum Vlyſſe, ne Sirenum cantus te ſeducant, immune conſerva pectus tuum ab omni impuritate, nec quid-

quam

quam decerpe, quod lætitiam bonæ conſcientiæ poſſit effuſcare: & niſi tali animo inſtructus ſis, prorſus ineptum te iudicamus ad peregrinationem, memores ſapientiſſimæ illius legis, quam Baſilius M. Epiſcopus Cæſarienſis hiſce verbis complexus eſt: *Peregrè amandetur, qui proficiſci poteſt citra animæ ſuæ detrimentum.* In Patriam reverſus ne deſpicias alios, qui domi manſerunt, nec vel voluntatem vel occaſionem habent peragrandi terras alio ſub ſole calentes; ſed quantum illi interea in otio ſuo præſtiterint, inquire, & ſi quid tu boni didiciſti, eoque nomine ab iis rogatus ſueris, candidus imperti. Denique ſpartam, quam nactus es, omni fide ac diligentia orna; ritus patrios ſectare, nec unquam itinera tua jacta, quia (ut id, quòd B. Hieronymus de Hieroſolymis ſcripſit, ad metropolin Italiæ accommodemus) *Non Romæ fuiſſe, ſed Romæ benè vixiſſe laudandum eſt*; quin eò tandem annitere, ut ipſo opere exprimas, quod Romani veteres Hieroglyphica ſtructura templorum Virtutis & Honoris indicabant, quæ non niſi unam habebant portam principalem, ita ut in Templum Honoris nemo pervenire poſſet, niſi qui per Templum Virtutis tranſiiſſet. Virtutem igitur ſectare, mi Viator Sacer, ſed veram & Chriſtianam; ita fiet, ut Honor, isque verus & Chriſtiano dignus, ſi non in vita, tamen poſt fata, ſi non apud homines, certè apud Deum, te ſit excepturus.

Aſcet. c. 44.

ep. 13. Tom.

Atque huic orationi meæ colophonem imponerem, niſi pietatis, gratitudinis, obſervantiæ atque humanitatis debitum priùs à me perſolvendum eſſet. Inſtare jam video diem illum, quo initium profeſſionis meæ Theologicæ erit faciendum. Ardua ſanè hæc eſt functio non modò ob ſublimitatem rerum, quæ tractandæ ſunt, ſed etiam ob inſignem eruditionem atque indefeſſum ſtudium, quibus eam ornavit, dum viveret, celeberrimus Dürrius, Affinis atque Præceptor meus deſideratiſſimus. Attamen tu, qui ſpartam illam in me devolviſti, O æterne ac benigniſſime DEUS, Pater Sapientiæ, vires quoque mihi concedes, ut eam ritè obire ſuſtineam: Illumina, quæſo, mentem meam, largire mihi Spiritum Anteceſſoris mei, aut ſaltim aliquantillum ejus, & fac, ut omnes labores mei cedant in ſacroſancti Nominis Tui gloriam, ac Studioſæ Juventutis emolumentum.

A Divino Numine ad Vos me converto, Dii tereſtres, Magnifici, Nobiliſſimi, Maximè Strenui atque Prudentiſſimi Domini SCHOLARCHÆ (liceat enim abſentes tanquã præſentes venerari) grati-

ri) gratiasque Vobis ago ingentes, quod ad honorificum hoc munus, ab Illustri Magistratu, cujus non infima pars estis, mihi decretum, me non modò è peregrinis oris vocare, sed & reversum gratiosè excipere, & plus una vice constantem benevolentiam atque patrocinium vestrum mihi promittere volueritis: Effeciistis hoc ipso, Mæcenates optimi, ut observantiam atque obedientiam debitam non priùs Vobis sim subtracturus, quàm anima corpusculum hoc reliquerit.

Multum quoque Tibi me debere fateor, re & nomine MAGNE FEZERE, Vniversitatis nostræ Procancellarie Magnifice, nam absque tuo consilio demandatam mihi hanc partam non fuisse certò scio. Servet Te Devs felicem ac florentem, Tuamque Domum, totius non modò Civitatis, Academiæque & Reipublicæ patriæ, sed aliorum etiam S. Rom. Imperii Statuum Oraculum omni bonorum genere repleat, mihique facultatem concedat, ut animum Tibi devinctissimum ipsò opere exhibere atque demonstrare queam.

Sed ô me felicem, qui è vultibus vestris, PATRES ACADEMICI, omnem favorem atq; amorem mihi tam certò polliceri possum, quàm è Solis splendore diei serenitatem! O me felicem, dum eorum lateri admotus sum, qui mihi olim aut Præceptores fuerunt, aut Commilitiones, aut certè fautores, imo è quibus tres ipse etiam Pater meus (cujus anima sit in benedicti ne!) hoc in loco (*ggg*) Collegas, atque (*hhh*) unum ex illis tribus, venerabilem nunc Senem, multisque ingenii monumentis in Rep. literaria celebratissimum, quondam in Philosophia Præceptorem habuit, nec unquam satis laudare potuit. Recipite igitur, Viri æstumatissimi, quando Superis ac Prudentissimo Senatui sic visum est, recipite pro Collega discipulum, & discipuli primùm, deinde etiam Collegæ filium, commilitonem, amicum & cultorem vestrum, & periculum facite, num qua erga Vos in me sit fides, num qua integritas, num quod inserviendi studium. Emoriar, atque indignus sim Sacro munere, nisi omnes nires adhibiturus sum, ut me Vobis ex asse probem.

Quumq; Vestri causa huc venerim, Pereximii atque Ornatissimi DNN. STVDIOSI, Sacrarum literarum Alumni, nimirum ut in Theologiæ studio & publicè & privatim vobiscum me exerceam, nolite dubitare, me omnem operam daturum, ut officium sedulæ atque fidelis magistri impleam, vosque ad munera sive Ecclesiastica

sive

sive Academica, quantum in me est, & officii mei partes permittunt, aptos atque idoneos reddam. Si quid grati etiam reliquo Nobilissimorum Pectorum Cœtui, sive Civilis Prudentiæ, sive Artis Salutaris, sive Sapientiæ castra sequantur, præstare potero, illud omne bona fide iis jam offero, ac suo tempore lubens lætusque præstabo.

DIXI.

NOTÆ.

Ad pag. 4.

(a) *Levi sculptura*) quam Itali *mezzo rilievo* appellant.

Ad pag. 5.

(b) *Sigillum*) Figuram istiusmodi Sigilli sive Panis Sancti duplicem delineatam damus in Tabula sub numero I. Confer de hoc & sequentibus Goari Not. in S. Chrysostomi Missam, & Zimmerm. lib. *Fluunt non nascuntur Christiani* pag. 342.

(c) *Lanceam*) Figura II. eam tibi exhibet.

(d) *In Sancto Disco*) Eum repræsentat Figura III. ubi notabis majorem illam panis particulam, quæ ad dextram Sigilli est, positam esse in memoriam B. Virginis Mariæ, reliquas novem ad sinistrum latus in honorem Sanctorum, inferiorem majusculam pro Sacerdote, & minusculas pro ejusdem vel demortuis, vel adhuc viventibus amicis & consanguineis.

(e) *Asteriscum*) sive stellam, quam exhibet figura IV.

Ad pag. 6.

(f) *Flabello*) Figuram ejus vide sub numero V.

(g) *Cochlearis parvuli*) quod figura VI. expressum est.

Ad pag. 7.

(h) *Creationes* sive *Sanctorum* sive *Beatorum*) Illæ Canonizationes, hæ Beatificationes proprie dicuntur. *Canonizationem* hæc præcedunt: 1. Regis cujusdam pro Canonizando, qui ante 50. aut minimum 40. annos demortuus sit, reiterata petitio. 2. commissio ad formandum processum. 3. Inquisitio in vitam & gesta Canonizandi. 4. Relatio commissionum. 5. Relatorum in Consistorio examinatio. 6. Examinatorum, an Miracula mereantur appellari, sine quibus nulla

Canoni-

Canonizatio procedit, discussio. 7. Secreta Consistorii decisio. 8. Canonizationis publica manifestatio. 9. Temporis, quo Canonizatio peragi debet, determinatio. Ipsa autem peractio publicæ solennitatis fit impensis Regni illius, in quo natus fuit. Solennitatis concomitantia sunt Genuflexio & Oratio pro evitando errore, & ut Deus corda illuminare velit tàm Papæ quàm Cardinalium; item Canonizati Publicatio cum Recitatione illius miraculorum, & Offertorium, quo Papæ præsentantur candelæ albæ cereæ, vinum in doliolo argenteo inaurato, panes & turtures in cavea. Fit etiam Celebratio Missæ in ejus honorem, & demum Ascriptio in Matriculam Sanctorum, & Suspensio Vexilli in Ecclesia D. Petri.

Beatificatio in hoc distat à Canonizatione, quod nec tot solennia, nec ita accuratum processum requirat, nec universalem, sed solùm in particulari loco determinatum tribuat honorem. Vtraque non nisi à Papa conceditur: In hac quidem, ut Beatus N. appellari possit, & certo tempore ac loco Officium Missale illius celebretur memoriæ. *Sprengerus in Roma Nova p. 114. 115.*

Anno 1675. qui erat Jubilæus, d. 21. Apr. sive Dominica in Albis, *Joannis de Cruce*, Hispani, ex ordine Carmelitarum discalceatorum, Beatificatio fiebat hoc modo: Positis in Choro Basilicæ D. Petri ritè organis, dum Musicus concentus personabat, Clerici cum Cardinali quodam sacris vestibus & mitra instructo solenni pompa templum ingrediebantur, & in prædicto Choro omnibus considentibus, unus illorum conscenso suggestu, qui inter duo organa positus erat, Bullam Pontificis clara voce prælegebat, huius tenoris: Satis jam notum esse, quod Joannns de Cruce Hispanus vir fuerit valdè & doctus & pius. Non dubitare igitur Papam, illum ob virtutes tàm Theologicas quàm Morales in cœlo cum reliquis Electis jam triumphare; rogatum autem eo nomine ab Hispaniarum Rege, ut prædictum Joannem de Cruce in numerum Beatorum referret, eundem jam pro tali declaratum velle & potestatem facere, memoriæ ipsius altare in tribus locis erigendi. His dictis, extra templum, ut manifestatio Beati latè per Vrbem innotesceret, ignis subdebatur vasculis pulvere tormentario plenis, & velo pariter à pictura, in qua novus Beatus genibus flexis in habitu orantis extabat, remoto, populus omnis in genua procidebat, eumque adoratione venerabatur.

(i) *Agnus Dei*) Placentulæ illæ contra omnia mala Diabolica conferre

conferre creduntur. Conſecrantur à Pontifice anno ſui Pontificatus primo, & quovis poſtea Septennio. Nimirum poſtquam ille privatim cum aliquibus Cardinalibus peregit officium Miſſæ, petit Cameram Benedictionis, in qua indutus amictu, cingulo, ſtola & mitra, conſecrat aquam, & Cardinales ſacras monetulas in eam injectas extractasque detergunt, rurſus deinde à ſummo Pontifice benedicendas. *Sprenger* in Roma Novâ p. 118. Anno 1675. d. 18. Apr. (erat Dies Jovis poſt Dominicam Reſurrectionis) fiebat ſecunda vice hæc ceremonia à ſolis Cardinalibus, qui albo linteo cincti cochlearia haud parvæ magnitudinis argentea tenebant, quibus placentulis illis aquam conſecratam affundebant. Scilicet hoc erat Agnos Dei lavare.

(k) *Roſæ & Gladii benedictionem*) In quarta Quadrageſimæ, Roſa, & in nocte Natalis Domini, à Papa benedicitur Gladius, ut hoc magnos Reges, Roſa verò Reginas & Principes matronas donet. Adi Caſal. de Ritib. Vet. Chriſtian. p. 336

(l) *Anni Jubilæi*) Qui vigilia Nativitatis Domini inchoatur, & finitur eadem vigilia ſequentis anni. Bonifacius IIX. anno MCCC. primus Jubilæum inſtituit quolibet anno centeſimo, & viſitandas propoſuit Baſilicas Divorum Apoſtolorum Petri & Pauli. At Clemens VI. anno 1350. ſtatutum illud mox abrogavit, & centeſimum in quinquageſimum contraxit, adjiciendo ulterius Eccleſiam D. Joannis Lateranenſem. Denique Sixtus IV. anno 1475. Jubilæo annum vigeſimum quintum poſuit, adjecta ulterius Eccleſia D. Mariæ Majoris. Atque hic ultimus annorum numerus hactenus à Pontificibus obſervatus eſt, celebrante Jubilæum Clemente IIX anno 1599. Vrbano IIX. anno 1625. Innocentio X. anno 1650. & Clemente X. anno 1675. Atque hodiè viſitantes ad VII. Eccleſiarum (de quibus infra) aſtringuntur acceſſionem.

(m) *Excommunicamur*) Eodem, quo nos excommunicamur, tempore Papa populo ſuo ſolennem dat benedictionem, quemadmodum etiam facere ſolet die Reſurrectionis, & feſto Aſcenſionis Chriſti. Ubi quidem notandum, id quod de loco hujus ceremoniæ diximus, eſſe nimirum *porticum Baſilicæ D. Petri*, intelligendum eſſe de hodiernis Pontificibus: priores enim aliis in locis eam peregére, in porticu ſcilicet vel palatii Pontificialis, vel D. Petri in vinculis, ſive D. Marci, ſive D. Joannis, quem ultimum Sixtus V. ſpecialiter benedictionis in uſum extruxit.

(n) *Nummo aureo & argenteo*) Argentei figuram, quæ quidem cum aurei figura coincidit, æri incidi curavimus sub num. VII.

(o) *Porta sancta*) Hujus, apertæ tamen, faciem ostendit nummus alter, inter Figuras locum tenens IIX. sive ultimum. *Sancta* dicitur à Salvatore nostro, cui Hierosolymis sæpius transitum præbuisse dicitur. Sunt quidem & alibi Portæ Sanctæ, nempe in Ecclesia D. Pauli, D. Joannis Lateranensis, & D. Mariæ Majoris, sed in hoc est differentia, quod Paulina à Decano Cardinalium, Lateranensis, & Mariana à templorum istorum Archipresbyteris, sola autem Petrina sive Vaticana ab ipso Pontifice aperitur. Ubi hæ observantur ceremoniæ. Vigilia nativitatis Domini nostri Pontifex per aliquot conclavia quum pedibus incessit, sumitur pro more à Satellitibus suis, conspiciendus in Sella sua ordinaria. Processio fit cum toto Clero; principaliores albo amictu incedunt, cereum candidum ardentem portantes, qualem & ipse Papa gerit, in dextra habens annulum Pisatoris. Vbi ad portam appropinquat, resumpto priùs quietis interstitio, in genua procumbit, in præsentia sui Patris Confessoris, preces aliquas fundens; quo facto resurgit, capitque malleum aureum, & eo portam ter percutit, intra templum dispositis, qui ad portam diruendam atque in terram dejiciendam parata habent instrumenta. Ad primum ictum altiùs Papa ita loquitur: *Aperite mihi portam Justitiæ*. respondet Capella: *Ingressus eam confitebor Domino.* Ad alterum sonum: *Introibo domum tuam Domine*, recinente Musicâ: *Adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo*. Peracto tertio & ultimo pulsu, ita finit Papa: *Aperite portas, quoniã nobiscum est Deus.* Cùm responderunt modulantes: *Qui fecit virtutem Israel*, ruit porta, minutim confracta. Tum, tradito malleo aureo alicui è suis, Pontifex operto capite templum ingreditur, interque eundum recitat illa verba: *Domine exaudi orationem meam. Hæc est dies lætitiæ, quam nobis fecit Dominus, jubilemus & exultemus in illa.* Quod dum fit, omnes reliquæ Templi portæ clausæ sunt, populusq; superstitione cœcus catervatim ruit in lapides, ut ex his in memoriam Anni aliquos tollere, & sacræ sequentis ævi recordationi relinquere possit. Interim vexilla in apice muri Castelli S. Angeli volitant, tormentaque exploduntur bellica. *Sprenger in Roma Nova p. 124. 125.*

(p) *Ecclesiæ veteris Doctorum*) Quorum quidem statura non est ea, quam habuerunt, sed longè major & Colossiæa.

Ad pag

Ad pag. 8.

(q) *Septem Templorum visitationes*) Sunt illa S. Petri, S. Pauli, S. Mariæ Majoris, S. Joannis Lateranensis, S. Crucis in Jerusalem, S. Laurentii extra Vrbis mœnia, & S. Sebastiani: pro quo ultimo, quia nimis est remotum, nec facilè ab omnibus uno die adiri potest, à nonnullis indultu atque privilegio Pontificis visitatur Ecclesia S. Mariæ Populi.

(r) *Processiones solennes*) Multæ quidem earum fiunt singulis annis, plurimæ autem & maximè conspicuæ anno Jubilæo. Nam ipsi nonsolùm Prælati & aliæ personæ illustres, sed Cardinales etiam, mandato quidem atque autoritate Capitis ipsorum, Papæ, peregrinis recipiendis obviam eunt, nec baculo minùs quàm habitu Peregrinantium sumpto, eos solenniter in Vrbem, ejusque aliquod Xenodochium comitantur. Iidem cum Principibus viris eodem sacco amicti nocturnis Hebdomadæ Sanctæ processionibus adsunt, easque à cereorum ardentium copia & ingente, sæpè crystallinorum, Candelabrorum machina pompáq; satis jam illustres, illustriores reddunt.

(s) *Scalam Sanctam*) Quæ marmorea est, & duo de triginta graduum, ducens in Sacellum D. Laurentii, inter appendices Basilicæ Lateranensis numerandum, & à sanctis Reliquiis, quas continet, imprimis autem ab effigie, quam Pontificii à D. Luca delineatam, ab Angelo autẽ perfectam credunt, *Sancta Sanctorum* appellatũ. Scala illa Hierosolymis, ad ædes Pilati fuisse, & Christus per eam tractus, eandemque sanguine è vulneribus rorante imbuisse dicitur. Cernere sane adhuc guttas aliquot licet sub crate ferrea: itaque pedibus calcare locum nefas; genibus nixi reptant per gradus, concessasque à Pontificibus indulgentias merent. *Pflaumern* in Mercur. Ital. p. 236.

(s) *Ædicula Lauretana*) Asservari in ea creditur & monstratur ferè quotidiè patina, è qua cibum sumserit Maria virgo; & panniculus vestis Ejusdem, rubei coloris, ejusque & materiæ & texturæ, quam Itali *Ciambelloto* nominant.

Ad pag. 9.

(t) *Congregatione*) Depicta illa est in spatiosa tabula, quæ in Choro templi Cathedralis suspensa.

(u) *Lapis loquitur quadratus*) Exiguus is est, soleam pedis humani vix

ni vix ſuperans, operis teſſellati & varii coloris. Ibi ajunt Alexandrum III. Friderici Imperatoris cervicem pede compreſſiſſe: Quam hiſtoriam, ceu veram, prolixè defendit apud exteros æquè, ac in Patria noſtra celeberrimus D. *Wagenſeil* diſput. VII in Jus Publicũ p. 17.

(x) *Denuò depicta*) à Zuccaro quodam, & quidem (ſi rectè memini) ſub finem ſuperioris Seculi; prout ipſius artificis verba, picturæ ſubjecta, indicant; quæ tamen mihi jam non ſucurrunt.

Ad pag. 10.

(y) *Ex Inſcriptione*) Quæ ita habet:

Anno reparatæ Salutis CCCLIX.
Libero Pontif. Max. Conſtantio
Jmp.
Cum hæreticorum fraudibus ingemiſcens orbis terrarum
Se Arrianum eſſe miratus eſt
Ex quadringentis Epiſcopis ad Synodum Ariminenſem convocatis
Perpauci Orthodoxi in hunc locum ventitantes
Vt ſeorſim ab Arrianis ſacra facerent
Et Catholica Communione Catholicos impertirent
Occaſionem præbuerunt ut Vicus ipſe Catholica nuncuparetur
Cujus nominis rationem ac totius rei geſtæ memoriam

Cæſar

Cæsar Cardinalis Baronius Annalibus Ecclesiasticis inseruit.
Bernardinus Cardinalis Spada
Ad peregrinantium pietatem erudiendam
Amoremque suum erga Patriam Provinciam testandum
Hoc posito marmore indicavit.
Anno Domini MDCXXXVII.

Ad pag. 11.

(z) *Humilis originis suæ)* Ita existimat *Casalius* de Veter. Sac. Christian. Ritib. pag. 321.

Ad pag. 12.

(aa) *Historia de Legione Fulminatrice*) Qui eam cernere cupit, adeat vel *Baronii* Annales, vel *Casal.* de Vrbis ac Rom. olim Imp. Splend. p. 45. utrobique enim ære excusam reperiet.

(bb) *Sanctoq; Hieronymo*) Ita n. ipse scribit Comment. in Ezech. c. 40. *Dum essem Romæ puer & liberalibus studiis erudirer, solebam cum cæteris ejusdem ætatis & propositi, diebus Dominicis sepulcra Apostolorum & Martyrum circuire, crebroq; cryptas ingredi, quæ in terrarum profunda defossæ, ex utraq; parte ingredientium, per parietes habent corpora sepultorum, & ita obscura sunt omnia, ut propemodum illud propheticum compleatur:* Descendunt ad infernum viventes, & raro desuper lumen admissum, horrorem temperet tenebrarum: ut non tam fenestra, quàm foramen dimissi luminis putes: rursumq; pedetentim acceditur, & cæca nocte circumdatis, illud Virgilianum proponitur: Horror ubique animos simul ipsa silentia terrent. Psal. 54.

(cc) *In & extra Vrbem*) In Vrbe sub Basilica D. Petri, extra Vrbem, ad S. Agnetem, ad S. Priscillam, ad S. Pancratium, & ad S. Sebastianum.

(dd) *Ampitheatrum illud celebre*) Notandæ in eo sunt duæ Inscriptiones à Clemente factæ, quarum una picturæ Martyrum, cum ramis palmarum inter leones & tigres genibus innixorum, subjecta hæc est:

AMPHITHEATRVM. FLAVIVM.
NON. TAM. OPERIS. MOLE. ET. ARTIFICIO.
AC. VETERVM.
SPECTACULORVM. MEMORIA.
QVAM. SACRO. INNVMERABILIVM.
MARTYRVM.
CRVORE. ILLUSTRE.
VENERABVNDVS. HOSPES. INGREDERE.
ET. IN. AVGVSTO. MAGNITVDINIS. ROMA-
NÆ. MONVMENTO.
EXECRATA. CÆSARVM. SÆVITIA.
HEROES. FORTITVDINIS. CHRISTIANÆ.
SUSPICE. ET. EXORA.
ANNO. JUBILÆI. MDCLXXV.

Altera diverſo latere poſita ita habet:

AMPHITHEATRVM. HOC. VVLGO.
COLOSSÆVM.
OB. NERONIS. COLOSSVM. ILLI.
APPOSITVM.
VERIVS. OB. INNVMERABILIVM. SS. MARTYRVM.
IN. EO. CRVCIATORVM. MEMORIAM.
CRVCIS. TROPHÆVM.
ANNO. JUBILÆI. MDCLXXV.

(ee) *TàmCandelabri aurei quàmTabularumMoſis*) DeCandelabri aurei vecte calami, ſcyphi ſphærulæque ac lilia procedunt, ſex in utroque latere; tres Calami ex parte una, & tres ex altera. prorſus ut deſcribitur Exod. XXXVII, 18. 19. Calami autem illi non recta, ſed in rotundum ſive in forma dimidii circuli procedunt, ita ut ſecundum eorum par primo ſive ſummo ſit majus, & tertium ſive ultimum iterum majus ſecundo. Tabulæ autem Legis quadratæ ſunt longitudinis.

(ff) *Apoſtolorum Carcer*) Cujus portæ ſuperinſcriptum:

Nell'

NELL' ANNO DEL SIGNORE LXIX. DEL PONTIFICATO DI PIETRO XXV. E DELL' IMPERIO DI NERONE XIII. QUESTA E LA PRIGIONE TANTO CELEBRE DOVE I SS. APOSTOLI
PIETRO E PAOLO FVRONO TENVTI IX. MESI FINO AL GIORNO DEL LORO MARTIRIO.

Hoc eſt:

ANNO DOMINI LXIX. PONTIFICATVS PETRI XXV. ET IMPERII
NERONIS XIII. HIC EST CARCER ILLE ADEO CELEBRIS, VBI SS. APOSTOLI PETRVS ET PAVLVS CVSTODITI FVERVNT IX. MENSES VSQVE IN DIEM IPSORVM MARTYRII.

Et paullò ſuperiùs literis majuſculis hæc leguntur verba:

C. VIBIVS C. F. RUFINUS M. COCCEJVS M. F. NERVA COS. EXS. C.

(gg) *In Janiculo aut in eo Vaticani loco*) Conſule de hoc *Paulum Aringum* in Roma Subterran.

(hh) *Ad Aquas Salvias*) Hodiè *Tres Fontes* dictas, qui quidem (ſi Pontificiis credimus) quum abſciſſum à cervice caput S. Apoſtoli ter ſaliens ter humum pulſaſſet, ſimul erupére. Idque etiam titulus frontiſpicio Eccleſiæ ibi conditæ impoſitus indicat: S. PAVLI APOSTOLI MARTYRII LOCVS VBI TRES FONTES MIRABILITER ERVPERVNT. PETRVS DIAC. CARD. ALDOBRANDINVS S. R. E. CAMERARIVS. A. D. M D I C.

Primus eorum dulcior lactis ſaporem aliqua ex parte reddit; cæteri quamvis haut longè à primo diſtent, paullò diverſum guſtui ſaporem afferunt. Cujus rei ea ratio ſolet afferri, quod ipſò primo fluxu lac vena dederunt, ac deinde Sanguinem. Ita quidem de iis ſcribit Cæſar Cardinalis Baronius in vaſto Annalium Eccleſiaſticorum opere ad A. C. 69. n. 13. Sed profectò nimis delicati ſit & præjudicio corrupti palati neceſſe eſt, qui aquas illas diverſi ſaporis ſibi perſvadeat. In ead. Eccleſia extat etiam columna marmorea, cui feriendum caput D. Apoſtolus impoſuiſſe narratur. Imò & hæc Epigraphe in ea legitur:

Column

Columna
ſupra quam decapitatus
S. Paulus Apoſtolus.

(ii) *Petra Cajetanæ*) Ex Vrbe Cajeta in arcem aſcendentibus & inde ulterius progreſſis ocurrit primùm Eccleſia S. Trinitatis, mox Capella aliqua, cujus paries Spectatoribus, antequàm ad Petram admittat, hanc dat paræneſin:

Rumpe cor, O mortalis homo, velut ardua rupes (rumpitur)
In ara Crucis compatiare Deo.
O hominum durum genus! ardua ſaxa dehiſcunt:
Saxea corda hominum ſtant moriente Deo.
Vna fuit quondam hæc rupes, nunc diſſita; Montes
Exitium Domini cùm gemuére ſui.
Durior es ſaxis, ferior feritate ferarum,
Sin lacrimis cernas hoc pietatis opus.

E Capella iſta egreſſos excipit maximæ altitudinis, ſed diſrupta atque adeò horrida & formidabilis aſpectu petra, perque fauces ejus in Scala lapidea nigra deſcenditur in alteram Capellam, immani Saxo illi impoſitam, quod revulſum à ſummo faſtigio quum rueret præceps, impactum hiantibus rupibus ac retentum inter inæquabiliter eminentes ſcopulos fuit; ubi etiam hodiè ſuſpenſum hæret, minaturque identidem ruinam, nec ruit. Atque ut loco major religio concilietur, veſtigium manus in petra illa monſtratur, incredulitatis ſignum: Ajunt enim fuiſſe nonneminem, qui adduci non potuerit, ut crederet, petram Chriſto patiente diſſiluiſſe, quin manu admota atque infixa dixiſſe: Tam hoc verum eſt, quàm figuram manus meæ in cautè remanſuram. At dictum, factum; nam lapidem duriſſimum inſtar ceræ collique ſcentem veſtigium manus impreſſæ, ita ut videtur, retinuiſſe. Quare & diſtichon hoc ei adſcribere haut ſunt veriti:

Improba mens verum renuit, quod fama fatetur
Credere; at hoc digitis Saxa liquata probant.

Magnum ſanè hoc, nî fictum, miraculum!

(kk) *Bacchо*) Hodiè templum hoc S. Conſtantiæ, quæ ſub altari majore ſepulta, conſecratum eſt. Habet formam rotundam, æquè ut Pantheon, 24. Columnas, quæ horas diei, 12. fornices, qui menſes, & 4. portas, quæ anni partes denotabant. Lacunar muſivo opere vin-

re vindemiam veterum quasi in tabula exhibet. Extant ibi etiam duo Candelabra marmorea levis Sculpturæ, & virum altitudine æquantia, idololatriæ paganæ haud contemnenda monumenta. Et extra templum rudera Theatri Bacchi, in quo Bacchanalia celebrata.

(ll) *Pantheon*) Quid de eo notandum sit, duæ illæ Inscriptiones docent, quæ in vestibulo Templi hodie leguntur:

Vrbanus VIII. Pont. Max.
Vetustas ahenei Lacunaris
Reliquias
In Vaticanas columnas &
Bellica tormenta conflavit
Vt decora inutilia
Et ipsi propè famæ ignota
Fierent
In Vaticano Templo
Apostolici Sepulchri ornamenta
In Hadriana arce
Instrumenta publicæ Securitatis.
Anno Domini M DC X XXII.

Verùm tantum abfuit, ut hoc factum omnes approbârint, ut potiùs Pasquinus Vrbanum, nescio an satis urbanè, correxerit, & sale isto, jam omnibus notissimo, perfricuerit:

Quod Barbari non fecerunt,
Fecerunt Barberini.

Altera Inscriptio ita habet:

Pantheon

Ædificium toto terrarum orbe
Celeberrimum
Ab Agrippa Augusti genero
Impiè Jovi ceterisque mendacibus Diis
A Bonifacio III. Pontifice
Deiparæ & SS. Christi Martyribus piè
dicatum
Vrbanus VIII. Pont. Max.
Binis ad campani æris usum
Turribus exornavit
Et nova contignatione munivit.
Anno Domini MDCXXXII. Pontif. IX.

(mm) *Rubiconem*) Duplex ibi Inscriptio, Vetus & Nova: Vetus his concepta est verbis:

Jussu mandatuve P. R. Cos. Imp. Trib. Mil. Tiron. Commiliton. Armata quisquis es Manipulariæve Centurio, Turmeve Legionariæ, hic sistito, vexillum sinito, arma deponito, Nec citra hunc amnem Rubiconem signa, ductum Exercitum commeatumve traducito. Si quis ergò hujusce Jussionis adversus præcepta ierit fecerit ve, adjudicatus Esto Hostis P. R. ac si contra patriam arma tulerit, Penatesq; è Sacris penetralibus asportaverit. S. P. Q. R. Sanctio plebisciti S. Ve C. Vltra hos fines arma ac Signa proferre liceat nemini.

Nova hæc est:

Rubiconem ponti subjectum transis Viator
Romano interdicto, Cæsaris ausu
Et adagio Jactæ aleæ celebratum.

Flumini

Flumini huic ſtabilem imponere trajectum
Ethnica diu vetuit pavida ſuperſtitio;
Catholica nunc ſuaſit ſecura Religio.
Innocent. X. Summo Pont.
Card. Donghio Legato
Anno MDC LIV.

(nn) *In Foro Ariminenſi lapis*) In cujus antica parte ſcriptum exſtat:

CÆSAR
DICT.
RVBICONE
SVPERATO
CIVILI BELLO
COMMILIT.
SVOS HIC
IN FORO AR.
ADLOCVT.

In Poſtica:

SVGGESTVM
HVNC
VETVSTATE
COLLAPSVM
COSS. ARIMINENS.
NOVEMB.
ET DECEMB.
cIↃ IↃ IV.
RESTIT.

Ad pag. 13.

(oo) *Ut ſubſcriptus titulus*) Italicis quidem verbis:

Queſto

Questo è il Talento che Cesare Imperadore diede à Pisa col quale si misuraua lo censo, che à lui era dato.

Quæ Latinè versa ita sonant:

Hoc est Talentum quod Cæsar Imperator dedit Pisis, quo mensurabatur census, qui ei erat datus.

(pp) *Patavinum Prætorium*) Quo nullum in orbe est pulchrius, plumbo tectum, nullis columnis tignisve suffultum, latum pedes LXXXVI. longum CCLVI.

(qq) *Cineres Livii)* Loculus parieti, qui Occidentem spectat, inclusus, marmorea Historici imagine, & his verbis conspicuus est:

VE
T. LIVIVS
LIVIÆ T. F.
QVARTA EL.
HALYS
CONCORDIALIS
PATAVI
SIBI ET SVIS
OMNIBVS.

(rr) *Lapidem Cessionis Bonorum)* Habet ille formam incudis, & hanc pariter inscriptionem:

LAPIS VITVPERII ET CESS. BONORVM.

(ss) *Rostro*) Ne meo judicio id unicum, quod hodiè reperiatur, dixisse videar, haud gravabor Epigraphen hic apponere, qua id decoratur:

VETVSTIORIS HOC ÆVI ROMANI ROSTRVM
IN EXPVRGANDO PORTV ANNO 1597.
ERVTVM
VNICVM HVCVSQVE VISVM
EXIMIÆ IN RE NAVTICA GLORIÆ
DICAVERE CONCIVES.

(tt) *Vulgò ajunt*) Ab ista vulgari fama decipi se quoque passus est

est P. *Bembus* Cardinalis & Patricius Venetus: Ita enim scribit l. VII. Histor. Ven. p. 268. edit. Basil. quæ prodiit Anno 1567. *Etiam Norimbergenses, ampla & florens atq; inprimis libera suiq; juris in Germania Civitas, missis ad Vrbem Legatis, exemplum Venetarum Legum à Patribus petierunt: velleq; sese eis uti legibus ostenderunt. quod quidem illis Senatus frequens concessit.* Duplicem autem paucis hisce verbis errorem commisit Vir alias magnus & doctissimus, primum quoniam Legatos à Norimbergensibus missos esse asseverat; deinde quod eos missos dicit non præcisè Tutelares, sed in universum Leges petendi causa. Quem posteriorem quamvis rectè corrigat præclari nominis JCtus atque Academiæ nostræ æternum Decus, Scipio Gentilis, alterum tamen de missis Legatis nec ipse effugere potuit; hæc namque ejus sunt verba in Laudatione Funebri Hier. Baumgartneri p. 13. *Quid Senatus Norimbergensis? eadē mente ipse quoq; per Legatos publice missos Legum descriptionem ante complures annos à magno illo & sapientissimo Senatu Veneto petivit, atq; in suam Remp. recepit, tametsi non omnes Leges, ut infinitè P. Bembus scribit, non sine laudibus hujus civitatis, sed eas ferè, quæ ad tutelas pertinent, ut ego accepi, descripserunt, iisq; semper deinceps usi fuerunt, Tutelari etiam electo constitutoq; Collegio.*

(uu) *Nec qui de publicis Venetorum picturis*) Est is *Marcus Boschinus*, qui libro suo hunc fecit titulum: *Le Ricche Minere della Pittura Veneziana.* Agens ille *nel Sestier di S. Marco*, in regione S. Marci, de Picturis Palatii Ducalis, & pag. quidem IX. de picturis aulæ quatuor portarum, sic scribit: *Continuamo à godere delle pitture di questa maestosa Sala, e passiamo le finestre, che guardano sopra il Cortile, che troueremo il Serenissimo nel Collegio, che dà l' audienza ad alcuni Ambasciatori dello Stato: & è rappresentato dà Carletto Calliari, figlio del gran Paolo Veronese.* i. e. *Fruamur ulterius picturis regiæ hujus aulæ, & transeamus fenestras, quæ prospiciunt in atrium, ibi reperiemus Serenissimum* (Ducem) *in Collegio, audientiam facientem nonnullis Legatis Status: idq; pictum est à Carletto Calliari, filio magni illius Pauli Veronensis.*

Ad pag. 14.

(xx) *Nisi ipse autores*) Qui sunt *Zeillerus* in Itinerario, *Pflaumerus* in Mercurio Italico, & inprimis *Ferr: Loffredus* in libello Italico Neapoli excuso, cui titulus: *Le Antichità di Pozzuolo e luoghi convicini.* Subjunctus autem ille est *Sebastiani Bartoli* Tractatui itidem Itali-

co, qui agit de Thermis Puteolanis, atque hunc habet titulum: *Breve Ragguaglio de' Bagni di Pozzuolo dispersi.*

Ad pag. 16.

(yy) *Lapis fugere nos jubet*) - Hanc enim præ se fert Inscriptionem:

Posteri posteri
Vestra res agitur
Dies facem præfert diei, nudius perendino.
Advertite.
Vicies ab statu Solis nî fabulatur Histo ria
arsit Vesævus
Immani semper clade hæsitantium
Ne posthac incertos occupet moneo.
Vterum gerit mons hic
Bitumine, alumine, ferro, sulphure, auro, argento,
Nitro, aquarum fontibus gravem
Serius ocyus igneſcet pelagoque influente pariet.
Sed ante parturit
Concutitur concutitque solum
Fumigat coruscat flammigerat
Quatit aerem
Horrendum immugit, boat, tonat, arcet finibus accolas
Emicat dum licet.
Jam jam enititur, erumpit, mixtum igne lacum evomit
Præcipiti ruit ille lapsu, seramque fugam prævertit.
Si corripit, actum est. Periisti.
Anno Sal. 1631. 16. Cal. Jan.

Philippo IV. Rege
Emanuele Fonseca & Zunica Comite Montis Regii
Pro Rege
Repetita superiorum temporum calamitate subsidiisque calamitatis

Humanius

Humanius quò munificentius
Formidatus ſervavit, ſpretus oppreſſit incautos & avidos
Quibus Lar & ſupellex vita potior.
Tum tu ſi ſapis audi clamantem lapidem
Sperne Larem, ſperne ſarcinulas, mora nulla, fuge.
Antonio Suares Meſſ. Marchione Vice præfecto viarum.

(zz) *Therma Bajenſes*) Eas à Barbaris vaſtatas reſtituit Henricus III. Imperator Suevus, & Rex Neapolitanus, circa annum Chriſti 1189. &, ne unquam memoria earum deleretur, autor fuit celebri tùm Poëtæ Siculo, *Alcadino*, ut cujusq; nomen, & etymologiam atque efficaciam ſive virtutem verſu complecteretur; quod ille etiam laudabiliter præſtitit, ſicut libellus ipſius teſtatur, cujus initium hoc eſt:

Inter opes operum DEVS eſt laudandus in illis,
In quibus humanæ deficit artis opus.
Res ſatis eſt dictu mirabilis, horrida viſu:
A Phlegetonteo provenit amne ſalus.
Nam quæ defunctos aqua fervens urit in imis,
Hæc eadem nobis miſſa miniſtrat opem.
Cætera cùm fictis curentur regna Syrupis,
Balnea quæ curant, Terra Laboris habet.
Vos igitur quibus eſt nullius gutta metalli,
Quærite, quæ gratis auxilientur aqua.
Quarum virtutes, & nomina, maxime Cæſar,
Præſens pro mira laude Libellus habet.

(aaa) *Inſcriptiones*) Fortè illæ non aliæ fuerunt quàm verſus Alcadini; nullum enim eſt dubium, Bajanas thermas initiò non tam fuiſſe deſtinatas bono publico, quàm deliciàs præbuiſſe Principibus Nobilibusque Romanis: nec ullum proferri poteſt documentum à temporibus Monarchiæ Romanæ uſque ad Henricum III. Thermas illas Inſcriptionibus fuiſſe ornatas. Certè invidia Medicos Salernitanos non prius occupavit, quàm Alcadinus ipſarum virtutes, juſſu quidem & auſpiciis Auguſti illius, propalaſſet.

(bbb) *Tres*) Nomina eorum ſunt hæc: Antonius Sulimela, Philippus Capograſſus, & Hector de Prochyta.

(ccc) *Eosq; vivos abſorpſit*) Inter Inſulam Capreas & Promontorium Minervæ.

Ad pag. 18.

(ddd) *Adeò perfectis Oratoribus*) Nemo existimet me heic prodigum laudis esse: imò verò ingenuè fateor, audisse me aliquot, quorum excellentiam admirari quidem possum, condigno autem encomio celebrare non possum. Neque ægre ferent, credo, Concionatores illi inter Christianos eximii, si ipsis annumeremus aliquot etiam Judæos: præterito enim anno, quum festum esset Tabernaculorum, Venetiis duo erant, qui magna cum admiratione auditorum, etiam Christum sequentium, nec ineloquentium, in Synagogis dixerunt, eoque majorem laudem sunt promeriti, quodnon literis, sed mercaturæ operam dedissent. Ita ut nihil aliud desiderari possit in his eorumque similibus, quàm ut eloquentiam suam ad meliorem religionem conferrent atque adhiberent.

(eee) *Qui in Concionibus suis à fabulis abstinent*) Inter hos laudandi meritò sunt *Arragonius* Venetus, Sodalitii, ni fallor, Somascorum, *Pallavicinius* Neapolitanus, Societatis Jesu, & ante omnes Fr. *Angelus Vincentius Guinigi* Lucensis, Dominicanus, quorum conciones dignæ essent, quæ typis excuderentur.

Ad pag. 19.

(fff) *Bibliothecæ publicæ*) *Bibliotheca D. Marci* continet libros Petrarchæ & Bessarionis, magni meritò æstimatos. *Ambrosiana* cœpta à S. Carolo Borromæo, & continuata ab ipsius Consangvineo, Cardinali Friderico, multa præclara cimelia custodit. *Laurentiana* initium suum habuit à Laurentio de Medicis, incrementum à Clemente VII. & perfectionem à Cosmo Magno Hetruriæ Duce ejusque Sereniſſimis Successoribus. Abundat libris Græcis, Latinis, Hebraicis, Chaldaicis & Arabicis MSS.tis, nec ipsa minùs, quàm *Medicæa* (per quam illam intelligo, quæ est in Palatio MAGNI DVCIS) Bibliothecario gaudet Antonio Magliabechio, ipso ἐμψύχῳ βιβλιοθήκῃ. *Vaticana* & proprio thesauro dives, & spoliis Palatinæ sive Heidelbergensis onusta est. Ad ea pertinet Codex MS.tus, hoc titulo: *Biblia Sacra Historica*. Cujus calci adjecti Germanica lingua rhythmi sequentes:

O GOTT durch deine Güte
Beschehr uns Kugl und Hüte
Mantel und Röeck
Geiß und Böeck/

Schaaf

Schaaf und Rinder/
Viel Frauen und wenig Kinder.
Explice durch den Banck/
Schmale Dienst machen einem das Jahr lang.

Qui quidem communiter Luthero tribuuntur, sed fallò: nam nec manus Lutheri est, nec ille unquam adeò peccavit contra leges Grammaticæ & Orthographiæ, ut indoctus iste, quisquis fuerit, Scriptor: Adde, quod ipse Subbibliothecarius mihi fassus sit, de MSS.tis Lutheri non nisi unicum in tota Vaticana extare, idque exiguum in forma quarta. Illud autem, in quo rhythmi prædicti leguntur, integri folii habet altitudinem. Vnde jam satis patet, quo jure quave injuria Beatus Vir versuum istorum Scriptor atque Auctor dicatur.

Quum occasione Notæ hujus, Romam iterum delati simus, placet, antequam inde abeamus, aliam Observationem annectere, natam è Bulla Pontificia, quotannis die Viridium recitari solita, qua suprà p. 7. diximus nos excommunicari. Bullam istam in Latino idiomate Pontifex appellat *Literas Processus*; atque inter alia ibi hæc leguntur verba: *Excommunicamus & anathemizamus, ex parte Dei omnipotentis, Patris & Filii & Spiritus Sancti, auctoritate quoq; Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac Nostra, quoscunq; Hussitas, Wichlephistas, Luteranos, Zuinglianos, Calvinistas, Vgonottos, Anabaptistas, Trinitarios & à Christiana fide Apostatas, & omnes ac singulos alios Hæreticos, quocunq; nomine censeantur, & cujuscunq; secta existant.* Jam mirum alicui videatur, cur Trinitarii Hæreticis accenseantur, si Trinitarii sût, qui tres in Vna Essentia Divina personas confitentur; hoc enim modo Pontifex se ipse cũ sequacibus suis excommunicaret; quoniam cum Ecclesia sua articulo de Trinitate ipsemet subscribit. Atque hoc Argumentum adeò est speciosum, ut quum Nostratium quidam primariis Sacerdotibus inclytæ alicujus in Italia civitatis id objiceret, tempusque cogitandi sat longum daret, illi exinde se extricare haud potuerint. Tandem verò ad Jesuitas, quasi ad Triarios, res pervénit, quorum unus primò quidem nihil, biduo autem pòst ita respondit: per *Trinitarios* ibi intelligi, non qui ab Anti-Trinitariis sic appellentur, Pontificios nimirum cum Lutheranis, Calvinianis, Anabaptistis, & quibuscunq; aliis S. Trinita-

tem credentibus, sed novam illam *Sectam, ortam sub Pio IV.* de qua Gabriel Vazquez Tom. II. Comment. & Dispp. in Primã Thomæ p. 9. ita memoret: *Jam verò, ut refert Sanderus lib. 7. de Visib. Monarch. hæresi 228. & Prateolus verbo* Deistæ *tempore Pii IV. sub anno 1565. orti sunt Deistæ seu Trinitarii, quod cum in Deo Tres hypostases confiterentur, tres personas negabant, nescio quid per Subsistentiam intelligentes.* Quò si respiciat Bulla quoque Pontificia, dubium sanè cessat, atque illa, hac quidem in parte, à magno liberatur absurdo.

Ad pag. 22.

(ggg) *Pater meus hoc in loco Collegas*) Qui sunt D. MAVRITIVS HOFFMANNVS tum Botanices & Anatomiæ, hodiè Botanices & Chirurgiæ, M. JOAN. PAVLVS FELWINGER, tum Logices & Metaphys. jam Logic. & Politices, & MATTHIAS KOENIG, olim Græcæ Linguæ, nunc & Poëseos Professor, Viri de studiosa Juventute & Orbe Erudito, quem scriptis præclarissimis juverunt, optimè meriti.

(hhh) *Vnum ex illis tribus*) FELWINGERVM, quem Academiæ jam Seniorem, cum prædictis duobus, & reliquis etiam Professoribus, Collegis meis plurimùm honorandis, Divina Clementia non hujus tantùm Vniversitatis, sed totius Reipublicæ Literariæ bono, diu servet ac felicitet!

FINIS.

In gratiam BENEVOLI LECTORIS, & ne vacua relinqueretur hæc pagina, visum est, ex Inscriptionibus Romanis recentioribus, duas heic apponere. Quarum altera monumento Alexandri III. Pont. Max. quod ferè in medio Basilicæ Lateranensis erectum, ipsiusque & Alexandri VII. Successoris insignibus ornatum est, subjecta ita habet:

ALEXAN-

ALEXANDRO III. PONT. MAX.
NOBILI PANDINELLA GENTE SENIS NATO
QVI DIFFICILLIMIS TEMPORIBVS
EXIMIA PIETATE
SVMMA PRVDENTIA AC DOCTRINA
ECCLESIÆ PRÆFVIT ANNIS XXII.
INVICTA FORTITVDINE ATQVE CONSTANTIA
APOSTOLICÆ SEDIS IVRA
AVCTORITATEM DIGNITATEMQVE RESTITVIT
ET POST IMMENSOS LABORES
AC SOLICITVDINES PACE PARTA
OECVMENICVM LATERANENSE CONCI-
LIVM CELEBRAVIT
SANCTISSIMAS DE ELIGENDO SVMMO
PONTIFICE
DEQVE VI ET AMBITV COERCENDO
LEGES TVLIT
THOMAM CANTVARIENSEM ANTISTITEM
BERNARDVM CLAREVALLIS ABBATEM
QVOS VIVENTES AMICISSIMOS HABVIT
EDVARDVM ANGLIÆ CANVTVM DANIÆ RE-
GES SANCTORVM NVMERO
ADSCRIPSIT
PLVRIMISQVE ALIIS MAXIMIS REBVS GESTIS
VITÆ DEMVM ET GLORIÆ CVRSVM
CONFECIT
ANNO SAL. MCLXXXI. CAL. SEPT.
ALEXANDER VII. PONT. MAX. NOMINIS
ET MVNERIS
IN ECCLESIA SVCCESSOR
PONTIFICI TANTO CIVI SVO
PIOS CINERES VENERATVS POSVIT.

Altera in Porticu Ecclesiæ S. Mariæ in Via Lata, hæc est:

ALEXANDRO VII. PONT. MAX.
LOCVS ANTIQVA VENERATIONE SACER
ET NOBILIS
IN QVO S. APOSTOLVM PAVLVM DIV MORATVM
NON SEMEL VNA CVM IPSO ECCLESIÆ CAPITE
S. PETRO
DE REBVS CHRISTIANÆ FIDEI DELIBERASSE
VBI S. LVCAM EVANGELISTAM ET SCRIPISSE
ET DEIPARÆ VIRGINIS IMAGINES DEPINXISSE
IAM INDE A PRIMIS TEMPORIBVS TRADITVM
CONGESTV TERRÆ OLIM DEPRESSVS ATQVE
INACCESSVS
FACILI SCALARVM DESCENSV
IMMISSOQVE FENESTRIS LVMINE
PERVIVS FACTVS
PVRGATVS EXORNATVSQVE
PIO FIDELIVM CVLTVI RESTITVTVS EST
ANNO SAL. MDCLXII.

Corrigenda.

p. 8. l. 26. aliquid.	*aliquod*
p. 12. l. 33. obeiſci.	*obeiſci.*
p. 13. l. 11. trophæo.	*tropæo.*
p. 14. l. 34. ergustula.	*ergaſtula.*
p. 15. l. 2. Sabbathi.	*Sabbati.*
p. 17. l. penult. affectum.	*affectuum.*
p. 18. l. 35. Patritio.	*Patricio.*
p. 21. l. 13. in marg. Tom.	*Tom. I.*
p. 25. l. 27. 1599.	1600.
p. ead. l. 37. Pontificialis.	*Pontificiali.*